REGNI NAPOLITANI ERGA PETRI CATHEDRAM RELIGIO ADVERSUS CALUMNIAS...

Carlo Maiello, Josè Maria Fonseca de Evora





BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
1 B
17



REGNI
NEAPOLITANI
ERGA
PETRI CATHEDRAM
RELIGIO

ADVERSUS CALUMNIAS ANONYMI

VINDICATA.



ANNO MDCCVIII.

Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quam quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum Sacerdotum Collegium quidquam moveret.

S. Cyprianus epist. 55. ad Cornelium Papam.

Serenissimo, & Catholico


HISPANIARVM REGI

CAROLO III.

AVSTRIACO

NEAPOLITANA ECCLESIA

SEMPITERNAM FELICITATEM.



CVm primum Christi auspiciis, & Clementis XI. collatis opibus, imperio tuo restituti sumus, *REX SERENISSIME*, confestim libellis editis Anonymi cu-

cujusdam laici animus in Romanam Ecclesiam intemperantior erupit. Veluti, Te Rege, præsidium nacta esset licentia, & quæ nunquam alias in Regnum Neapolitanum invasisset, fas esset sub Austriaco Principe impune grassari, & volitare. Quo exultare hostes tui nominis taciti quidem indignabamur, sed futurum sperabamus, ut cum ille exemplis pietatis tuæ consuevisset, ad saniora consilia se aliquando capesseret, & literarum laudem pari sacrarum rerum reverentia cumularet. Nuper vero cum scriptum alterum emiserit, indignis refertum contumeliis in Clericos, probris in Monachos, maledictis in hoc tuum regnum, & calumniis in Regiam Majestatem Tuam, & Apostolicam Sedem, silere nos minime patitur, neque amor patriæ debitus, neque fides Tibi obstricta, neque religio, quam sacris rebus omnibus, & Apostolicæ

po-

potiſſimum Cathedræ profitemur. Danda igitur opera eſt, ut omnes intelligant, quantam ille labem inferre conatus ſit auctoritati tuæ, cui vindicandam permiſit Deus ſubditorum exiſtimationem, & Romanæ Cathedræ dignitatem, quarum utramque per auſpicia regni tui labefactare conatus eſt, nec veritus ad facinus horrendum opem, vireſque tuas implorare. Simul etiam enitendum, ut ſentiant, moliri illum regno tuo perniciem teterrimam. Etenim ſub Auſtriaco nomine tam rata ſunt Sacerdotii, & Imperii fœdera, ut neque poſſit regnum conſiſtere exciſo religionis fundamento, neque poſſit Eccleſia concuti, niſi regia poteſtate plane convulſa. Cum igitur, *REX OPTIME*, ſanctiſſimorum Imperatorum animum, & virtutes referas, qui, ut ait Xyſtus III. epiſt. 2. *Deo ſenerantes ſollicitudinem ſuam, non prius dignati ſunt curare terrena, niſi cæleſtibus*

pa-

paruissent; ita consiliis successum, armis felicitatem, regnisque tuis robur, & præsidia parare perges, si sacra Ecclesiæ jura, pro avita Augustissimæ domus, & singulari animi tui religione, sarta tecta tuearis. *Tunc enim Christi dextera imperium defenditur, cum Ecclesiæ status inconcussus servatur.* S. Leo epist. 40. Quo plura de fide, ac patrocinio tuo nobis polliceri licebit, rem potissimum tuam, regnique tui causam acturis: *Pro tui enim imperii salute geritur, quidquid pro quiete Ecclesiæ, vel sanctæ religionis reverentia laboratur.* Cœlestin. epist. ad Theodosium.

Laico cuicumque nulla ratione de Ecclesiasticis causis disputandi fas esse dico: opus enim hoc Pontificum, & Sacerdotum est. Basilius Imperator in Allocut. ad VIII. Synodum. Act. X.

FIrmissimis christianæ disciplinæ fundamentis subnixa est regula, quam in tribuendis Sacerdotiis, & mandandis honoribus semper tenuit Ecclesia, ut scilicet non conveniat, *Sanctuarium Dei jure hereditario possideri*, *quia de omni gente, quæ facit justitiam, acceptus est Deo*. Cum enim inter eos, qui renati sunt ex aqua, & Spiritu Sancto, non sit *neque Gentilis, neque Judæus, neque Barbarus, neque Scytha. Ad Colofs.* 3. contineri inter se debent Christi-fideles, non tam caritate patriæ, vel gentis, aut sanguinis vinculo, quam cognatione fidei, & religionis. Neque enim decet, ut sanctiori fœdere coëant animi, qui unius imperii consortio socientur, quam quibus est unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus; quique sunt unum corpus, & unus spiritus in una

fpe vocationis fuæ, ut difputat Apoftolus *ad Ephef.* 4. & quos una fides vere facit effe germanos; *major eft enim fraternitas Chrifti, quam fanguinis*, inquit Ambrofius *ferm.* 90. Itaque Apoftolicis hifce inftitutis imbuta Ecclefia, eos folos habuit exteros, & barbaros, quos vera fides non coagmentaffet corpori, cui caput eft Chriftus. Cumque inter filios fuos fumma ope amoliri fatageret animorum divortia, nunquam paffa eft, ut inter jura facrorum, atque ad aras ipfas exercerentur nationum diffidia, & populorum fimultates. Propterea leges de certo genere hominum à beneficiis arcendo, ac de alienigenis repellendis, non modo nullas condidit Ecclefia, fed eas fæpe definivit, juri communi, & Ecclefiafticis moribus adverfari.

(1) Hinc illi ipfi, qui maxima conten-

Ex Italico Anonymi libello.

(1) Per omnes ubique Chriftiani nominis Provincias, beneficia Ecclefiaftica foli obtinent indigenæ, prætERquam in Regno Neapolitano, miferando, & perpetuo cũctarũ deformitatũ theatro. Præclare id tradit *Petra ad Rit.M.C. V.* 265. *n.*150. *vol.*3. *Beneficia Ecclefiaftica exteri obtinere nequeunt, tam jure cõmuni in c. cum de beneficiis, de præb. in* 6. *cap. nullus, cap. obitum,* 61. *dift. Covar. in c.*2. *de Teftam. nu.*2. *Garzia de benefic. lib.*2. *c.*15. *num.*12. *Crefpi de Valdaura obferv.*6. *ex num.* 81. *Ian. Langlæus in ocio femeftr. lib.*7. *cap.*10. *pag.* (mihi) 380. *Guilbert. Ant. à Freundeberg de refcript. morat. tit.*9. *concl.*69. *lit. P. f.*775. *Gafpar Klochius de ærar. lib.*2. *c.*25. *nu.*48. *Philipp. Knipfchildt de jur. & privil. univerf. lib.*2. *c.*8. *à nu.*105. *Tum legibus peculiaribus omnium fere regnorum attentis: ut de Polonia, Gallia, Navarra, & Aragonia teftes funt Salzed. ad Bernard. Diaz cap.*54. *in princ. De regno Caftellæ, & Francifc. Gonzalez de Salzed. ad leg. polit. lib.*2. *c.*15. *Rebuff. in prax. benef. reg. de idiomat. glof.*1. *tit. de refcrip. mix. n.*8. *R. Valenz. conf.*34. *num.*70. *& conf.* 105. *nu.*89. *lib.*1. Quibus accedunt Thomafinus, & Petrus de Marca.

tentione de excludẽdis alienigenis disputarunt, quique apud Anonymum in ejus sententiæ patrocinium advocantur, professi sunt, id non posse sine Apostolicæ Sedis privilegio constare; facta scilicet juris communis gratia, siue impetrata dispensatione, & assensu Apostolico. *Ita Rebuffus privilegio constare* docet *loc. cit. apud Anonymum*, cujus verba recitat *Thomasinus ab eodem relatus nu.* 8. *ejusdem cap.* 103. *Barbosa in cap. ad decorem: de inst. & in cap. bonæ memoriæ, 4. de postulat. Præl. num.* 8. 10. *&* 12. *Gonzalez ad cap. Te nobis. De Cleric. peregrin. Crespi de Valdaura loc. cit. num.* 61. *Salgado de supplic. ad Sanctissimum part.* 1. *cap.* 10. *num.* 69. *indultis Apostolicis*, inquit, *prohibitum est extraneis in his regnis obtinere beneficium, & nu.* 111. eam consuetudinem esse ait, *Indultis Apostolicis* confirmatam. Idem fatetur, *Quesada dissert. quot.* 2 *num.* 9. *&* 13. *& Cenedo practic. quæstion. Canon.* 18. qui, cum late scripsisset contra alienigenas, hæc addidit *num.* 7. *&* 8. *Quamvis autem hæc ita se habeant, sciendum est, si hujusmodi statuta, & leges non fuerunt approbatæ per Sedem Apostolicam, Judices Seculares eas*

observantes, & adeptionem possessionis beneficii alienigenis prohibentes, & eos in illa turbantes, peccare, quoniam contra libertatem Ecclesiasticam agunt; ut ex Panormitano, & Capis. pulchre resoluit Portoles, &c. Tota igitur statutorum, & consuetudinum vis, & auctoritas in privilegio Sedis Apostolicæ posita est; ac proinde recte decisum refert, *Garzia part. 7. cap. 9. num. 4. Quod de jure quilibet potest eligi, & institui, dummodo sit idoneus, cap. ad decorem: De Institut. & statuta excludentia à beneficiis certum genus personarum dicuntur CONTRA JUS.*

Porro Anonymus noster, ut consuetudinem alienigenarum repellendorum, per omnia Christiani nominis regna latissime obtinentem affirmet, iis insistit exemplis, quæ Christianorum Principum animos ab his cœptis maxime deterreant. Excitos enim tumultus, & scandala oborta ait, siquando Romani Pontifices morem illum violare suscepissent. Egregiam scilicet tuendæ disciplinæ, & asserendi juris rationem. Certe Novatores memorare possunt tumultus longe luctuosissimos ab se editos, ubi senserunt per Sedem

Apo-

Apostolicam attentari effrænatam suam libertatem. Potius igitur eo argumento docemur, quanti exempli res sit, ne Sacerdotia tribuantur pro laicorum libidine, sed jure communi Ecclesiæ; cum Summi Pontifices maluerint quamcumque temporum procellā excipere, quam ea in re ab Apostolico officio decedere, illud *Gregorii homil. 7. in Ezech.* præ oculis habentes: *Si de veritate scandalum sumitur, utilius nasci scandalum permittitur, quam veritas relinquatur.*

Sed jam, quæ historiarum monumenta proferat, videamus, an ea scilicet ob oculos Christianorum Principum ponenda sint, an potius inter exempla perfidiæ, & contumaciæ amandanda, à quibus Christi-fideles avertant oculos, & animos.

(2) Agmen ducit Ludovicus VII. Galliarum Rex, qui jure jurando testatus est, nunquam se passurum, ut Petrus de Castra Bituricensium Episcopus injussu Regis creatus, & ab Innocentio II. consecratus, eam Ecclesiam obtineret. Id vero quam feliciter Ludovico cesserit, audiamus ex Bernardo, qui illius pertinaciam jam triennali interdicto à Pontifice percus-

(2) RegemGalliæ obstitisse electioni, qua Episcopus Bituricēsis creatus erat nepos CācellariiRomani, narrat *Matthæus Parisius an.* 1146.

cussant, tandem expugnavit. Is *epist. 221.* ad Stephanum Episcopum Praenestinum haec scribit: *Putabam me deferre Regi pacifico, & ecce invenior gravissimo Ecclesiae hosti assentasse. Conculcantur apud nos sacra; Ecclesia turpiter ancillatur. Nā & electiones Episcoporum prohibentur fieri, & sicubi id praesumtum à Clericis fuerit, Electus Episcopari non sinitur.* Deinde postquam retulit *clamores pauperum, lacrymas viduarum, planctus orphanorum, gemitus compeditorum, sanguinem interfectorum*, addidit: *Frequens in omnium auribus vox:* Hereditate possideamus Sanctuarium Dei; *sed Rex emendat, quod in Bituricensem Ecclesiam HERODIANO JURAMENTO commisit.* Hoc primum exemplum est, quo conatur Anonymus animum Catholici, & Austriaci Regis excitare. Sane luget Bernardus, rejectas à Ludovico non solum Bituricensis, sed etiam Parisiensis, & aliorum Episcoporum electiones; vel igitur eas Rex repudiabat, quia exteri electi erant; ergo lugendum putavit Bernardus, quod alienigenae repellerentur; vel alio nomine obnitebatur illis electionibus Ludovicus; & jam nihil Anonymo Ludovici temeritas suffragatur. (3) Phi-

(3) Philippi Galliarum etiam Regis factum, à Clemente VI. rejectum, ac damnatum, nemo jure velit Neapolitanorum rationibus favere; quantum enim abhorreat à canonica disciplina, ipse Clemens graviter conquestus, ostendit: *Utinam*, inquit, *consiliarii tui, qui Te induxerunt ad ea, solerti diligentia maturius attendissent gravia pericula, quibus talia facientes, & in eis faciendis consilium, vel favorem præstantes, olim editi à SS. Patribus CANONES evidenter involvunt.* Apud Raynaldum anno 1346. num. 39. Eandem causam egit Clemens cum Alfonso Rege Castellæ, qui gravate tulerat exterum Cauriensis Ecclesiæ ordinatum Episcopum, ad quem ita scripsit: *Numquid Apostoli Domini, quorum Episcopi sunt successores, extra proprias nationes, & gentes, Provincias alias, atque Regna in sortem prædicationis, disponente Domino, non susceperunt? Numquid B. Jacobus, per quem Hispaniis evangelicæ veritatis lumen resplenduit, & sacri baptismatis innotuit Sacramentum, in Hispaniis ortus est? Quid igitur mirum, si Romanus Pontifex, ad exequendum ministerium ser-*

(3) Anno 1346. Rex item Galliæ universali lege exteros à beneficiis Regni sui exclusit, etiam Cardinales.

servitutis injunctæ, illius, cujus vices gerit in terris, & apud quem non est Judæi, Græcique distinctio, neque acceptio personarum, instructus exemplo, personas idoneas eligit, & quamquam alienigenas, vacantium Ecclesiarum regimini præficit, deputatque Pastores ad Dominici gregis curam. Apud eundem anno 1348. num. 14.

(4) Vladislaus in Regno Poloniæ idem edixit.

(4) Nihilo probabilius est, quod de Uladislao Rege Poloniæ affert ex Raynaldo ad ann. 1429. num. 13. ubi ita conatus Uladislai excipit Martinus V. *Ut multa sileamus indigna, quæ Tibi PRÆTER JURIS DISPOSITIONEM persuadere quotidie moliuntur, nuper vidimus copiam quarundam literarum, per quas Tua Serenitas Prælatis, & Canonicis Ecclesiæ Gneznensis mandat sub gravi pœna, ne aliquem extraneum in dicta Ecclesia recipiant ad possessionem alicujus beneficii, cum inter Prælatos Regni ita statutum sit, & conclusum; de quo maximam suscepimus admirationem. Primum quidem numquam antea inter Episcopos Regni tui, qui recte sunt dicendi Prælati, hanc tam iniquam, & exorbitantem conclusionem, quæ cedit in vilipendium nostrum, & Sedis Apo-*

sto-

stolicæ, & Regni dedecus, Prælatorumque infamiam, factam esse audivimus, &c. Deinde num. 14. subdit ea, quibus cernant universi, quam perpetua, quam constans, quam firma sit consuetudo, quam venditat Anonymus. *Fili charissime, non velis in hoc errore versari, ut putes, Nos non nostro, sed alieno arbitrio, Ecclesiis vacantibus providere. Supplicant sæpe Reges, & Principes, & Nos eis interdum complacemus, quando præsertim cognoscimus preces eorum, exauditione, & gratia nostra dignas; interdum etiam aliter disponimus, quam ipsi Reges, & Principes supplicarint. Nuper siquidem quinque provisiones in Regno Angliæ fecimus alio modo, quam ipse Rex scripserat; magis enim consideravimus PERSONARUM MERITA, ET COMMODA ECCLESIARUM, quam regiam voluntatem. Hoc similiter fecimus alias in Regno Castellæ, & noviter in Regno Franciæ in duabus Ecclesiis; fueruntque provisiones nostræ reverenter, ut dignum erat, à Regibus acceptatæ. Nec Aragonum Rex, licet sua culpa alienatus à Nobis extiterit, unquam adversatus est provisionibus Ecclesiarum, quas arbitrio*

nostro in Regno suo fecimus. Itaque non existimet Serenitas Tua, quod quasi ex præscripta consuetudine, ad voluntatem Dominorum temporalium, provideamus Ecclesiis, licet aliquando, cum Nobis videtur, complaceamus eisdem, &c.

(5) Id ipsum Henricus Rex Castellæ lata lege statuerat, sed alieno ambitu revocatus ab incæpto est. *Mariana Hist. Hisp. lib. 19. cap. 1.*

(5) Abrogatam legem Henrici Regis Castellæ cum sibi objicere debuisset Anonymus, nescio qua confidentia adsciverit in patrocinium causæ suæ. At enim, inquit, per aulicos Sacerdotiis imminentes, ut ea sibi, venia Pontificum impetrarent, victa est lubrica pueri regis ætas. Præclara sane disputandi ratio, ut, ubi facta pervertere non possis, consilia in pravum trahas. Sed cur non potius legem illam puero Regi aliena cupiditas, & ambitio suggesserat? Cum præsertim statutum de excludendis exteris *ambitiosum* definiatur apud *Barbosam d. cap. ad decorem.* Cur autem tanti interesset aulicorum, ut tam studiose ambirent Pontificum veniam, qui adeo apud Regem valerent, ut suo arbitratu illius voluntatem flecterent, & leges refigerent?

(6) Sed flecti animus invictissimi Caroli V. non potuit, cujus leges de excludendis alienigenis vigent, ac semper vigebunt. Earum rationem reddit *Covarruvias pract. quæst. c. 35. num. 5.*

(6) Cum legibus vero Caroli V. Apostolico privilegio suffultis, nihil no-

nobis negotii est. Cætera per Covarruviam tradita, & hic ἀκαίρως ingesta, de Ecclesiastici regiminis utilitate, inferius excutiemus. Interim omnibus ejusmodi Principum statutis, ac legibus, liberam illam Synodi Chalcedonensis vocem reponimus, *in quam Patres*, inquit Petrus de Marca in Proleg. ad Concordiam, *à Judicibus interpellati simul omnes eruperunt: CONTRA CANONES PRAGMATICUM NIHIL VALEBIT, REGULÆ PATRUM TENEANT. Act. 4. Conc. Chalc. Quod Synodi decretum Marcianus edicto suo firmavit an. 454. in l. privilegia, Cod. de Sacros. Eccl.*

(7) Postquam ejusmodi facta, partim à suis auctoribus abrogata, partim Ecclesiæ, & Summorum Pontificum judicio rejecta, recensuit Anonymus, illud Augustini *Epist.* 54. alias 118. ad Januarium, triumphabundus usurpat: *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est*. Nos potius, post damnatum ab Innocentio Ludovicum, coërcitum à Clemente Philippum, Uladislaum à Martino objurgatum, Henricum latas leges

(7) Consuetudo igitur universalis Ecclesiæ est, ut soli indigenæ ad beneficia admittantur; quam si quis infringere tentaverit, illud Augustini *Ep.* 54. alias 118. *ad Ianuarium* usurpare licebit: *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

abrogantem, subjiciamus: *Siquid tota per orbem damnat Ecclesia, ut ita faciendum sit, disputare, insolentissimae insaniae est*. Insolentissimae etiam insaniae est, imperium cum Ecclesia confundere; & quod paucissimi Reges Ecclesiae infensi, legibus contra Ecclesiasticam libertatem editis attentarunt, toti Ecclesiae tribuere.

(8) Caeterum par erat, ut agmen primum de moribus, & consuetudine populorum, clauderet responsum Conradi Friderici II. filii, regis nimirum immanissimi, & odio in Romanam Ecclesiam prorsus exitiali; quem diris malis devotum, & anathemate percussum, paternae, & avitae tyrannidis aemulatorem appellat Innocentius IV. *Epist.* 66. ad Nobiles Suevos, apud Raynaldum anno 1251. num. 11. *Herode sublato*, inquit, *qui Christi animam in animabus fidelium impie perdere nitebatur, hereditario jure paternae tyrannidis, principatum alter sibi vindicat Archelaus*, *&c.* En quibus fundamentis disciplinam sacrorum instruxit Anonymus. En quibus ducibus contra Romanum Pontificem, navibus, & equis Ecclesiastici canones vindicandi sunt.

(8) Praesertim cum exortus aliquando fuerit Rex, qui sollenniter testatus sit, velle se in Regno Neapolitano eo jure uti, quo caeteri in suis Regnis Principes. Is autem fuit Cōradus, qui Romae accusatus, quod bona Ecclesiastica invasisset, respōdit, se contentum *eo jure in Ecclesiis vacantibus, quo utitur Rex Franciae, & Angliae in Ecclesiis vacantibus Regni sui.*

(9) Quam

(9) Quam ostendimus consuetudinem ab omni Ecclesiastica regula aberrantem, sacris etiam canonibus munire satagit Anonymus, quibus contendit, esse repulsos alienigenas à beneficiis obtinendis. In primis autem producit legem Synodi Generalis VIII. quæ, nisi se paucarum horarum exceptione tueatur, illum in rebus hisce tractandis non satis exercitum prodit. Canone enim 13. S. Synodus duo constituit; primum, ut ad majores ordines Cathedralis Ecclesiæ provehantur ii, qui in inferioribus ordinibus in eadem Ecclesia morati fuerint; alterum, ut nunquam inter Clericos Cathedralis Ecclesiæ accenseantur Clerici, qui servitio Laicorum addicti, domestica, aut suburbana illorum negotia gessissent. Alios igitur canon admittit, alios repellit; sed qua parte admittit, non excludit alienigenas; qua vero repellit, etiam arcet indigenas. Quod igitur causæ suæ præsidium in eo canone posuit Anonymus? Certe, cum domestici Laicorum nobilium prohibentur aditu Cleri Cathedralis, ipsi quoque indigenæ

(9) Id non solum in more Ecclesiæ positũ, sed lege etiam cautum est, Can. 13. Conc. Gener. VIII. *Quoniam quidem dicit alicubi divinum eloquium, Dignus est operarius mercede sua; hujus rei gratia, & Nos decernimus, & promulgamus, ut magnæ Ecclesiæ Clerici* (sensus est de Ecclesia Constantinopolitana, ubi habebatur Cõcilium) *qui in subjectis ordinibus morati sunt, ad majores gradus ascendant, & si digni claruerint, melioribus perfrui mereantur honoribus. Sed non ex illis, qui foris sunt, aliqui se his innectentes, debitas eis, qui multo tempore laboraverunt, dignitates, vel honores recipiant; ac per hoc inveniantur Ecclesiæ Clerici nullo modo posse proficere.*

næ ſubmoventur, qui non abſtinuerint ab eo turpi miniſterio; cum vero minoribus Clericis magnæ Eccleſiæ munitur via ad ordines ſuperiores, eadem quoque patet alienigenis, qui in ſubjectis ordinibus morati fuerint. Nam de excludendis alienigenis à minoribus ordinibus magnæ Eccleſiæ, in tota illa Synodo neque vola, neque veſtigium.

Anonymi autem eruditionem deſideramus; tum in eo, quod nomine *Magnæ Eccleſiæ* intelligit ſolam Conſtantinopolitanam, cum tamen eo pacto veteres appellarent Eccleſiam Cathedralem in magnis urbibus, quam hodie vulgò dicunt *Majorem Eccleſiam*; tum etiam in eo, quod putat deſignari extraneos in illis Concilii verbis: *Sed non ex illis, qui foris ſunt*; cum ſententia canonis ſit, ut excludantur etiam oriundi, qui non ſint de Canone magnæ Eccleſiæ; illi enim *forenſes* appellabantur; qui etiam Novella 16. Juſtiniani cap. 1: vocantur περιττοὶ *ſuperflui*; unde Leo IV. in Romana Synodo cap. 39. *Tantam*, ait, *ſuperfluitatem forenſium Presbyterorum.* Licet etiam forenſes nuncupentur in collectione Martini

Bra-

Bracarensis Can. 56. Presbyteri Pagenses.

(10) Ex Thomasino *part.2. discipl. lib. 1. cap. 103.* pergit Anonymus ea recitare ad adstruendam Ecclesiæ legem, quæ maxime omnium, Ecclesiæ judicio exterminata sunt. *Anno* 1408. inquit Thomasinus, *comitiorum Generalium Cleri Gallicani decreto, extraneis omnibus aditus interclusus est beneficiorum quorumcumque, nisi saltem decennium in publica alicujus Regni Universitatis palæstra contrivissent*; quod decretum manasse fatetur *inter schismatis Avenionensis procellas*. Sed qui Ecclesiasticæ historiæ rationem habuerit, ac temporum illorum conditionem perspexerit, non ignorat, illis Cleri Gallicani comitiis obviam itum esse malis undique gliscentibus, ne in Galliam incesserent. Regnis enim fædissimo schismate inter se divulsis, Carolus VI. *neutralitatem* edixit, quoad certus, & legitimus Pontifex Ecclesiæ præficeretur; eaque schismatis calamitate obtinente, tradita ratio conferendi beneficia, *salva debita Sanctæ Sedi Apostolicæ reverentia, & Domino Papæ futuro legitimo*. Hæc non aliter Anonymo

(10) Idem statuit Gallicana Ecclesia in Comitiis Generalibus an. 1408. *Hist. univ. Paris. tom.5. pag.* 155.

suf-

suffragari possunt, quam si neutralitas illa, & Αναρχία revocetur, atque eædem renoventur schismatis procellæ. Illud tamen nos vehementer angit, quod inter sævissimos illos turbines, adhuc *salva* fuerit *debita S. Sedi Apostolicæ reverentia*; quæ tamen per Anonymum nostrum non est satis salva.

(11) Præclara constitutione S. Ludovici hoc ipsum præcipitur, quæ utpote Sancti Regis, tam quam Ecclesiasticus Canon valere poterit.

(11) Inter Ecclesiasticas leges refert edictum S. Ludovici Galliarum Regis; quod religione Sanctissimi Principis, putat, posse sacris Canonibus exæquari. Homo scilicet laicus non reputat ea, quæ Patres prædicant de gratia τῆς χειροτονίας ad res sacras rite definiendas, gerendasque, & quod recitat Crespetius *in Summa Ecclesiasticæ disciplinæ* verbo *Laicus*: ex Gratiano *cap. Clericus, 3. quæst. 4. Laici, quamvis Religiosi sint, nulli tamen de Ecclesiasticis facultatibus respondendi* (alias *disponendi*) *legitur unquam attributa facultas*. Quodque docet Synodus Moguntina cap. 35. cum gratiam illam, quæ rite ordinatis confertur ad res sacras, & munera Ecclesiastica recte obeunda, *esse* ait, *ordinis, & muneris, non hominum, aut personarum*. Id autem ma-

xime

xime S. Ludovici exemplo liquidum est; qui licet eximia pietate, & vitæ innocentia claruerit, cum se tamen immiscuit rebus sacris, tales condidit leges contra Ecclesiæ jura, & libertatem, *malorum usus consilio*, inquit Gregorius IX. ut ejusdem minis exterritus, eas statim rescindere coactus fuerit; quo in Sanctam Sedem obsequio religionem suam cõmendavit. *Rayn. ann.* 1236. *num.* 31. *& sequ.* Ita S. Ludovici leges sacris Canonibus exæquatæ sunt.

Quod vero propius spectat legem illam S. Regis, quam ex Petro de Marca Romanæ Curiæ Anonymus opponit, cõpertum habemus, Gallis ipsis testibus, illam esse suppositã; ut apud Thomasinũ *part.* 2. *discipl. lib.* 2. *cap.* 33. Certe quintus articulus, qui est de oneribus pecuniarum, longissime abest à mente, & pietate sancti Principis, qui sua illa Constitutione nihil attigit jura Summi Pontificis, ut testatur Carolus Fevretus lib. 2. de abusu cap. 7. num. 3. *sed tantum declarat*, inquit, *beneficia esse ab ordinariis conferenda juxta sancta decreta, & sanctiones Canonicas, quæ etiam potestatem, & superioritatem S. Sedis in spiritualibus adstruunt*. Is vero

suspectus Anonymo esse nō potest. Mentem autem fuisse S. Ludovici, ut Ecclesiæ libertatem defenderet, non adversus S. Sedem, sed adversus laicorum rapinas, constat ex ipso Petro de Marca lib. 3. c. 1.

(12) Sed Pragmatica Sanctione Caroli VII. beneficia solis indigenis attributa sunt; ea vero constitutio iis rationibus munita dicitur, ut stomachetur Petrus de Marca contra Sanctionis interpretem, eique stultitiam more suo occinat Anonymus, quod scribere ausus sit, illā Apostolico privilegio esse nixam. Jam quo Apostolico privilegio, quove humano, aut divino jure Pragmatica Sanctio constet, videamus. Illam vixdum editam Eugenius IV. rejecit, ejus suasores appellans *perturbatores Ecclesiæ*. Deinde Pius II. eandem execratus est, quod illa *vires nostræ Religionis enervarentur, unitasque Ecclesiæ, ac libertas perimeretur*. Monitis Pii II. obsecutus Ludovicus XI. eam ab omni gallica ditione eliminavit, deque ea ita loquitur ad Sanctissimum Pontificem *Pragmaticam Sanctionem Tibi, tuæque Sedi infensam, utpote quæ in seditione, & schismatis tempore, atque per seditionem,*

(12) Nec vero, ut stulte putavit Glossator Pragmaticæ Sāctionis, ullo privilegio nititur ea constitutio, ut verba ipsa S. Ludovici ostendunt: & Pragmatica etiam Sanctio Caroli VII. in qua nō solum Carolus nullū privilegium allegat, *qui potius de Pontificum contradictione cōqueritur*, ut ait Petrus de Marca lib. 4. concord. cap. 9. num. 9.

nem, sectionis à tua Sede figuram nata sit; & quae, dum Tibi, à quo sacrae leges oriuntur, & manant, quantamlibet eripit auctoritatem, omne jus, & omnem legem dissoluit. . . . Te Principem totius Ecclesiae, Antistitem sacrorum, Te dominici gregis Pastorem profitemur, Teque jubĕtem sequimur, Tibi, & Beatissimi Petri Cathedrae consentimus, & jungimur. Itaque sicut mandasti, Pragmaticam ipsam à Regno nostro, nostro Viennensi Delphinatu, & omni ditione nostra per praesentes pellimus, dejicimus, stirpitusque abrogamus. Eaque abrogatio recitata, & confirmata est *sess. 4. Lateranensis V.*

(13) Pragmatica Sanctione perfunctus, eas Ecclesiae leges versat Anonymus, quibus, non quidem à beneficiis universis, sed ab Episcopatu tanta religione submoti sunt alienigenae, ut si quando secus usuvenisset, sacrilegii loco posuerint fideles. Eam Domini praeceptionem per Apostolos traditam commendasse testimonio suo Athanasium, qui doluit conculcatos apostolicos canones, cum alienigena è Cappadocia, loco quinquaginta mansionibus dissito, sibi sufficeretur in Epi-


(13) In hanc rem afferri solent Canones plerique, mandãtes, ut Ecclesiis è proprio sinu eligatur Episcopus; quam *Domini constitutionem per Apostolos traditã* appellavit Athanasius, cum exclamavit contra electionẽ Gregorii in Epist. ad solit. vit. agent. *Hic excogitavit, quo pacto legem alteraret, dissolvens Domini constitutionem per Apostolos traditã, & mores Ecclesiae immutans, novumque excogitans cõstituendorum Episcoporum modum. Ex aliis quippe locis, & quinquaginta mansionum intervallo dissitis, ad populos nolentes cum militibus Episcopos mittit.*

Episcopatu Alexandrino; plebem vero christianam non aliter tolerasse eam vim sibi, & sacris legibus illatam, quam intentato militum, & armorum terrore. Sed quo spectet dolor Athanasii, quidve potissimum indignatus sit in ea electione Gregorii Cappadocis, suis ab originibus breviter repetamus.

Tradita sane ab Apostolis electionum disciplina est, & ab usque antiquo fœdere ducta, ut sacrorum Ministrorum electiones fierent, Episcoporum judicio, Clericorum suffragio, & populi testimonio. Unde Cyprianus *Epist.* 35. ad Clerum, & plebem, de Aurelio Lectore, usus exemplo Eleazari: *Videmus*, inquit, *de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis eligatur.... ut vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.* Quam consuetudinem Ethnicis ipsis admirationi, & exemplo fuisse legimus apud Lampridium in Alexandro Severo. Id fuisse Patrum regulis sancitum, docet S. Leo *Epist.* 89. *Expectarentur*, inquit, *vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sa-*

cerdotum solent ordinationibus, ab his, qui norunt Patrum regulas, custodiri. Nec alia de causa Concilium Illiberitanum *Can.* 24. constituit, ut quorum incognita vita esset, ii ad Clerum nunquam promoverentur, ut nimirum publico testimonio comperta esse posset vita, moresque eligendorum.

Ea eligendi ratio sensim elanguit inter initia ipsa quoad secundi ordinis Sacerdotes, & Ministros, totaque concessit in potestatem, & conscientiam Episcoporum, ut exẽplo Celerini, & Aurelii docet nos Cyprianus ep. 33. & 34. quoad Episcopos vero diu viguit; sed ita tamen, ut factiones plebis passim coërcerentur Episcoporum, & Conciliorum auctoritate: *Turbis* τοῖς ὄχλοις *non est permittendum, eorum, qui in Sacerdotio sunt constituendi, electionem facere*, inquit Laodicenum Can. 13. & Cœlestinus I. in Decret. cap. 22. *Docendus est*, inquit, *populus, non sequendus*. Ambitione demum petitorum, & temeritate plebis deventum est ad mores hodiernos, cum vix alicubi veteris instituti, & electionum vestigia supersunt.



Hæc qui sciat, quæ nemo plane nescit,

nescit, videt, eo tempore, cum electiones fierent, populo suffragante, absonum profecto, & contra Apostolicas traditiones fuisse, quod ecclesiis præponerētur ignoti homines, quorum nemo nosset mores, vitæque institutum, sine ullo scilicet suffragantis populi testimonio. Quod autem Athanasio invisa fuerit ordinatio Gregorii non originis, sed testimonii, & electionis defectu, nec quia alienigena, sed quia nec ulli notus, nec postulatus fuerat, constat, tum ex ipso Athanasio in epist. encyclica ad Episcopos, ubi ait: *Oportuit omnia juxta Ecclesiasticas leges disquiri, & peragi, præsentibus Clericis, & populis, qui illum postularēt*; Tum ex Julio I. in Epist. ad Orientales Episcopos apud Athan. in Apol. contra Arianos: *Neque notum multis, neque postulatum à Presbyteris, neque ab Episcopis, neque à plebe*. Igitur postulari poterat alienigena, si propterea non est rite institutus, quia non fuerat postulatus; idque verba Athanasii aperte innuunt. Quid, quod ipse Athanasius interdum non è sinu vacantis ecclesiæ, sed ex intimo eremi recessu Anachoretas sanctissimos arcessivit ad episcopatum, quos

ipse

ipse recenset in epist. ad Dracontium? Ipsiusque Athanasii studiosissimus Nazianzenus etiam è Cappadocia ad Sedem Constantinopolitanam assumtus est; ad quam deinde Chrysostomus ab ecclesia Antiochena transivit; quorum scilicet non originis, sed celeberrimæ virtutis habita ratio est?

Tum certe, cum ea ratione procederent ordinationes, plurimi intererat, ut Episcopi renunciarentur, qui in ecclesiis vacantibus, aut si minus, proximis educati fuissent, de quorum vita, & moribus testimonium dicere populus posset. Sed sublatis electionibus, nec amplius requisito vacantis ecclesiæ suffragio, ac testimonio; quid imperitis imponitur ex verbis Athanasii, Cœlestini, & Leonis, qui spectabant suorum temporum consuetudinem? Quibus profecto tam evincitur, violari canones à Pontificibus, qui exteros vocant ad beneficia, quam ex legibus decemviralibus, violatores esse publici juris Romanos Principes, qui non amplius leges ferant centuriatis comitiis, nec populi judicio mandent honores, & bella indicant. Nimirum sapienter Sex. Cæci-

lius

lius apud Gellium lib. 20. cap. 1. *Legum opportunitates, atque medelas* ait, *pro temporum moribus, & pro rerumpublicarum generibus, ac pro utilitatum præsentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est, fervoribus, mutari, & flecti*. Propterea *quæ in pace latæ sunt leges, plerumque bellum abrogat; quæ in bello, pax; ut in navis administratione alia in secunda, alia in adversa tempestate usui sunt*, apud Livium lib. 34. Proinde merito Petrus de Marca, ut judicem Anonymo feramus familiarem suum, *lib. 3. de Concord. cap.* 6. ex novis causarum, & negotiorum figuris agnoscens necessitatem novi juris decretalium, subjecit: *Nos veteres laudamus, nostris tamen annis vivendum esse censemus*.

Hæc autem adjecta sint ex abundanti, cum satis constet, fuisse alienigenas ad episcopatum vocatos, etiam cum servaretur disciplina electionum, teste ipso Athanasio verbis, factisque. Quod si aliquid momenti in sacris illis electionum institutis ponere velit Anonymus, id non Romanorum Pontificum potestatem, quæ semper summa fuit, etiam cum vige-

rent

rent electiones, sed regias Nominationes petit. Per eas enim sublata esse jura electionum sæpe questus est Clerus Gallicanus, qui de abolendis Concordatis, & restituendis Electionibus iterum, & sæpius egit apud Reges Galliæ. Itaque laicorum potius causam invadit Anonymus, quorum id auribus dare studet.

Antequam autem Athanasium dimittamus, intelligat Anonymus, omnia illa deformatæ disciplinæ vulnera, quæ deflet *loc. cit.* Athanasius, à laicorum licentia fuisse imposita, ob ademtam scilicet Ecclesiæ libertatem, & injectas magistratuum manus in episcopis eligendis. Constantio enim curam, & custodiam ecclesiastici canonis simulanti, & obtendenti, ea objicit, quæ ostendunt, illos ipsos interdum, qui præseferunt curam servandorum canonum, totam eorum disciplinam subruere, & ecclesiasticæ dignitatis fundamenta convellere: *Quare, inquit* Athanasius, *dum se simulat Ecclesiasticum curare Canonem, omnia contra Canonem agere molitus est? Quis Canon præcipit, ut è palatio mittatur Episcopus? Quis tradidit Comites, inconsideratosque*

 spa-

ſpadones eccleſiaſticis præeſſe rebus? Aut edicto judicia eorum, qui Epiſcopi vocantur, promulgare?

(14) Cœleſtinus ep. 1. cap. 5. ad Epp. Narb. & Vienn. facultatem tribuit reſiſtendi, ſi extra ſinum vacantis eccleſiæ fuerit electus Epiſcopus.

(14) Nihil præterea, antiquatis electionibus, pertinet ad præſentem diſciplinam locus Cœleſtini, qui cum tribuit Clericis Narbonenſibus, & Viennenſibus facultatem reſiſtendi Clericis extraneis ſibi præpoſitis, vindicare ſtudet vetera jura electionum, ne ullus ſcilicet invitis detur Epiſcopus, ut ait cit. cap. 5., ac ne ſuffragantium minuatur libertas, *qui liberum de eo, qui eos recturus eſt, debent habere judicium*. Rurſus obnitebatur Cœleſtinus, ſicut alii Romani Pontifices, conatibus Epiſcoporū Arelatenſium, qui αὐτοκεφαλίαν ſibi arrogabant; quique ex monaſterio Lirinenſi monachos pleroſque alios aliis eccleſiis præfecerant, quorū voluntati ut Clerici vacātium eccleſiarum reſiſterent, permiſit Cœleſtinus. An ideo permiſſa poteſtas à Cœleſtino eſt, reſiſtendi ſuis ipſius mandatis, & aliorum Romanorum Pontificum? An leges, legumque latores, ut ſibi reſiſtatur, mandare ſolent?

(15) Leo I. Ep. ad Anaſt. Theſſal. & Ep. 88. *Ex Presbyteris*, inquit, *ejuſdem eccleſiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur.*

(15) Ad locum Leonis I. præcipientis, ut *ex Presbyteris ejuſdem eccleſiæ, vel*

ex

ex Diaconibus optimus eligatur, hæc ſubjicit in notis Paſchaſius Queſnellus in romanas rationes non optime animatus: *Ab hac lege diſcedere majoribus Sedibus ſemper licuit. De Romana pluribus exemplis conſtat. De Carthaginenſi teſtatur Aurelius in Concil. Carthaginenſi cap. 55.... Eandem prærogativam ſibi aſſumſiſſe videtur in Galliis noſtris Arelatenſis Epiſcopus, qui majores Sedes per omnia æmulabatur.*

(16) Joannes autem XXII. cum Philippo Regi diſertis verbis expreſſit, ſex epiſcopos ab ſe creatos, omnes eſſe ejus regni oriundos, clariſſime oſtendit, potuiſſe alienos eligere; nam cur id Regi exprimeret, ſi aliter nullo pacto fieri potuiſſet?

(17) Fatetur Anonymus his, aliiſque legibus, quæ in eandem ſententiam congeri poſſent, id tantummodo decerni, ut ne cui extraneo conferatur epiſcopatus; cæterum illis nihil caveri de extero à reliquis beneficiis arcendo. Sed ecce tibi

(16) Ioãnes XXII. Philippo V. Galliæ Regi, de ſex Epiſcopis ab ſe creatis rationem reddens: *Omnes, inquit, de Regno tuo Frãciæ oriundi.*

(17) Canones de ſolis Epiſcopis loquuntur; ſed cum Clericis per ſexcentos Canones interdictũ eſſet ad alias eccleſias tranſire, per eoſdem ipſos interdictum erat obtinere beneficia in alia eccleſia. Conc. Nic. Can. 15. *Reſtituatur propriæ eccleſiæ, in qua ordinatus eſt.* Can. 16. *cum omni neceſſitate cogantur, ut redeant ad eccleſiam ſuam.* Concil. Arel. I. an. 314. can. 21. *De Presbyteris, aut Diaconibus, qui ſolent dimittere loca ſua, & ad alia ſe transferunt, placuit, ut iis locis miniſtrent, quibus præfixi ſunt. Quod ſi, relictis locis ſuis ad alium ſe locum tranſferre voluerint, deponantur.*

rationem à nemine, ut putat, animadversam, qua exteris ad inferiora beneficia aditus obstructus erat. Clerici olim ita titulis beneficiorum suorum addicti erat, ut non liceret ad alias ecclesias transire; quotquot igitur leges vetuerant, ne Clerici à suis ecclesiis recederent, & alteri adhærerent, totidem interdixerant, ne alienis Clericis darentur beneficia.

Prohibuerint sane, quo minus Clerici alienæ ecclesiæ obtinerent beneficia, eædem illæ leges, quæ prohibebant Clericis transitum ad aliam ecclesiam, quid hoc ad alienigenas? Profecto illæ leges non prohibebant, ne Episcopus laico alienigenæ conferret ordines, atque adeo etiam beneficium, quod tum ab ordine non separabatur: *Recense Concilium*, inquit Augustinus Epist. 225. *ibi invenies de SOLIS CLERICIS fuisse statutum.... Hic institutum est, ut CLERICUM alienum nemo suscipiat*. Porro licuisse Episcopis, laicos alienigenas Clero adscribere, & ecclesiæ suæ mancipare, intelligimus ex Can. 9. Arausicani I. idque exemplo suo docuerunt illustrissimi Patres, quos refert Thomasinus part. 2. discipl. lib. 1. cap. 1.

atque

atque ordinatione sua Augustinus πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Alienigenæ igitur per antiquos Canones ad ordines, & beneficia admissi sunt.

Ad hoc, impune Clericus ad aliam ecclesiam transire poterat venia sui Episcopi. *Inferioris gradus Sacerdotes, vel alii Clerici concessione suorum Episcoporum possunt ad alias ecclesias transmigrare*, inquit Carthaginense IV. Can. 27. Solo igitur Episcopi permissu Clericis alienigenis beneficia cõferri possunt. Sed nunquid non legit Anonymus in eodem Carthaginensi assertam Episcopo Carthaginensi totius Africæ Primati facultatem ordinandi, quos vellet, & unde vellet Clericos, atque adeo beneficiis augendi etiam sine inferiorum Episcoporum consensu? Sane Aurelio Primati, ut hoc per Concilium sibi liceret, postulanti responsum est Can. 55. *Necesse habes tu omnes ecclesias suffulcire; unde Tibi non potestatem damus, sed tuam assignamus, ut liceat voluntati tuæ semper & tenere, quem voles, ut præpositos plebibus, vel ecclesiis constituas, qui postulati fuerint, & unde voles*. Præterea in sacris ministrorum ecclesiarum

cle-

clesiasticorum ordinationibus paria fuere τὰ πρεσβεῖα Carthaginensis Episcopi, & Alexandrini, ut observat Justellus ad eum Can. 55. Cur igitur eandem potestatem invidet Anonymus Romano Pontifici, quem Patriarcham saltem totius Occidentis ipsi schismatici agnoscunt, & fatentur; qui necesse habet *omnes ecclesias suffulcire*, ut quos velit, & unde velit Clericos ad sacerdotia destinet? Cur incorrigibilis, & gladio coërcendus ab eo dicitur, si jure illo utatur, quo semper alii Primates, & Patriarchæ usi sunt? Postremo non faciunt ad ecclesiasticam id temporis disciplinam obsoletæ illæ consuetudines, & leges, quibus una cum ordinibus beneficia conferebantur. Nunquid enim delenda sunt Tridentini decreta de ordinibus sine beneficii, sed solius patrimonii titulo interdum conferendis? Quam desperata igitur est causa Anonymi, quæ non potest consistere, nisi revocentur obliterati mores, imo quæ ex ipsis antiquis moribus convellitur, & profligatur?

(18) Nequa vero linea sit sine mendo, Anastasium ait, non alii obnoxium crimini fuisse, quam quod procul ageret à sua

ec-

(18) In Concil. Romano an. 853. sub Leone IV. depositus fuit Anastasius Cardinalis, cujus totum scelus fuit, quod jam quinquennium moratus esset Aquilejæ.

ecclesia. Non ignorant tamen, qui illius temporis monumenta versarunt, quantis ille sceleribus sese polluisset, quantaque ambitione fureret, quave potissimum de causa Leo curasset Romam illum revocare, Cæsaream aulam ambientem, ac sollicitantem, quo sibi ad Pontificatũ sterneret viam; quibus deinde stimulis actus schisma conflavit contra Benedictum III. Inter acta ejusdem Synodi Romanæ legitur sententia Adriani II. qua iterum Anastasius damnatur, ejusque immania flagitia memorantur. Binius in notis ad idem Concilium narrat, qua de causa revocatus ille in Urbem fuerit à Leone, cui contumaciter parere detrectans, Synodalem sententiam sustinuit. Non aberat ille modo à propria ecclesia, sed velut anguis, inquit Leo, per alienas parochias discurrebat, vitiorum suorum caligine perditus.

(19) Tridentinum quoque edixit, ut unusquisq; in sua Ordinatione Clericus certæ Ecclesiæ affigeretur: quod sanctum consilium calamitate nostrorum temporum frustra fuit: vana quaedam affixionis cæremonia dumtaxat superstite.

(19) Deflet corruptam nostrorum temporum conditionem Anonymus, quod cum vehementer curasset Tridentinum Clericos certæ ecclesiæ addicere, vix supersit vana quædam cæremonia ex sacrosancto Concilii decreto, cum vetus di-

disciplina longe severior ea de re fuerit.
Ut autem severa fuerit vetus Ecclesia, in multis certe vincimus ea tempora quoad vagos Clericos. Nam non solum alienos Clericos, sed etiam laicos; neque modo transmarinos, aut ex alia provincia, ut ex *can.*24.*Illib.*& Gregorio *lib.*2.*ep.*25. sed ex alia quavis diœcesi, etiam proxima, sine literis commendatitiis, aut dimissoriis Episcopi sui, nefas est ordinare; pœna proposita per Tridentinum *sess.*23. *cap.*8. Ordinantibus, & Ordinatis, ut hi à susceptis; illi à conferendis ordinibus per annum suspensi sint. Præterea peregrinis, non solum suscipiendis ordinibus, sed re quoque divina facienda interdictum est decreto ejusdem Tridentini *de Celebrat. Missæ sess.*22.

Fallitur etiam Anonymus, cum scribit, legem Tridentini de Clericis ecclesiæ affigendis, in vanam quandam cæremoniam evasisse. Siquidem per affixionem illam Clericus *adscribitur, & tanquam servus adscriptitius, mancipatur servitio ecclesiæ, pro cujus utilitate ordinatus est*, inquit Fagnanus in cap. admonet. De renunciat. *Unde locum deserere non potest*

in

in consulto Episcopo; num. 37. *Quod si deseruerit, sacrorum exercitium est ei interdicendum*; num. 11.

(20) Paucis illis horis dandū est, quod prima exempla *absolutæ* ordinationis, hoc est, sine titulo, & cardine, referat ad Hieronymum, & Paulinum quarto seculo exeunte; cum longe ante Origenes ita fuerit ordinatus presbyter ab episcopis Theoctisto Cæsariensi, & Alexandro Hierosolymitano, medio seculo tertio. Sub Constantio Augusto Sozomenus lib. 6. cap. 24. recenset Monachos, *qui creabantur Episcopi, non urbis alicujus, sed honoris causa*. Ipse Augustinus narrat, voluisse Ambrosium presbyteratum sibi conferre, ita ut ecclesiæ suæ minime affigeretur. Itaque jam hic morbus latissime manaverat, cui remedium obtulit Synodus Chalcedonensis *Can.* 6. cujus vestigiis inhærere professa est Synodus Tridentina *sess.* 23. *cap.* 16. Miror proinde latuisse Anonymo rem adeo notam, & à Tridentino expressam, & quæsivisse remedium contra absolutas ordinationes à Can. 13. VIII. Synodi, ultra medium seculum nonum; cujus verba quid huc conferant,

(20) Sub fine quarti seculi Paulinus, & Hieronymus absolute ordinati sunt; sed eorum exemplū nullam intulit mutationem disciplinę. Postea vero illa mutata est; & propterea fortasse seculo nono prohibitum fuit, ne beneficia darentur exteris Canone 13. VIII. Synodi supra recitato.

 judi-

judicent, qui oculos in fronte habent.

(21) Mens, & consilium Tridentini eam mille Canonum sententiam confirmavit. Licet enim S. Synodus hoc non decreverit, tamen nō latet, id fuisse in ea decernendum, instantibus Gallis; & fortasse nihil aliud obstitit, quam terribile illud *Proponētibus Legatis*, quo alia multa præclara decreta impedita fuerunt.

(21) Quanquam fatetur Anonymus, nullum decretum editum fuisse à Tridentino de exteris excludendis à beneficiis, licet plerique in eam legem studiose incumberent, & Gallicani Patres pro se acriter rem urgerent; non tamen despondet ille animum, sed hæc, inquit, mille canonum sententia, à mente saltem ipsa Sacri Concilii confirmata est.

At superi vestram fidem! urget Galli, nec promovent; plerique instant, nec tamen legem illam Concilio probant; magnis studiis, multorumque sententiis res decernenda jactatur, tamen à Concilio rejicitur. Quæ fuit igitur Concilii mens? Anne, ut id decerneret, quod rejecit? At *fortasse*, inquit, in causa fuit terribile illud *Proponentibus Legatis*, quo pleraque saluberrima decreta interclusa sunt in sacrosancto illo Patrum conventu. Sed quo auctore, quo teste, quibus argumentis, hæc Legatis Apostolicis dicascribitur, & invidia conflatur? *Fortasse*, inquit. O quam præclare Menander:

Ὅςις δὲ διαβολαῖσι πείθηται ταχὺ,
Ἤτοι πονηρὸς αὐτός ἐςι τὲς τρόπες,

Ἤ

Ἤ παντάπασι παιδαρίου γνώμην ἔχει.

Quam immerito autem carpat Anonymus formulam *Proponentibus Legatis*, discere poterit ex Pallavicino lib. 8. cap. 6. Quod si cætera decreta *Proponentibus Legatis* intercepta, ejusdem generis erant, ac lex Anonymi, næ illi operam Ecclesiæ fidelem, atque utilem navarunt in omnes partes. Nec immerito *terribilis* formula illa dicetur novarum rerum studiosis.

(22) Non defuisse tamen Ecclesiæ suæ Dei providentiam, subdit Anonymus; nam ea Tridentinum edixit, quæ si minus expresse alienigenas à beneficiis arcerent, certe ad eam disciplinam maxime spectarent. Ejusmodi est, inquit, lex illa, ut Episcopi beneficia suæ diœcesis, vel fructuū portiones Seminario adscribant, etiamsi à Cardinalibus possideantur. Tum altera, ut Clericis in Seminario educatis, & institutis beneficium aliquod conferatur. Quid hic vidit Anonymus? Quid hinc aliud efficitur, quam quod indigenæ non sint ab omnibus beneficiis excludendi? Quis hoc inficiatus est unquam? Quod beneficiorum fructibus Ecclesiæ laborantis inopia relevetur? Cur id præstare non possit

(22) Divino certe consilio factū est, ut huc spectaret plæraque leges Tridentini. Nam decretū de beneficiis, aut fructuum portione Seminario uniendo, etiam si à Cardinalibus possideantur, ostendit, mentem Concilii fuisse, ut beneficia in subsidium Ecclesiarum, ubi sita sunt, & Clericorum illarum, impendantur, non vero exterorū. Et rursus illud, ut Episcopus alumnos sui Seminarii ad beneficia deputet.

alienigena? Nunquid enim nullus est indigena, qui familiæ suæ commodis plusquam ecclesiæ necessitatibus studet? An vero omnes alienigenæ canones, evangelium, religionem ejurarunt? At legimus in evangelio, unum alienigenam præ multis indigenis fuisse accepti beneficii memorem, & laudem Deo dedisse. Cur autem spectavit Concilium ad exteros excludendos, cum portiones fructuum illis detrahendas, Seminario addixit? Nonne etiam mensæ episcopali, & capitulari, & cunctis indigenarum beneficiis, portio detrahitur, quæ Seminario erigendo, conservandoque tribuatur?

(23) Quid autem illi argumento reponamus, quod palmare, & invictum prædicat Anonymus, quo conatur ostendere, præceptum de excludendis alienigenis, non à sacris dumtaxat Canonibus, & divinis legibus traditum, sed ab ipsa natura expressum? Enimvero lege omnium gravissima, inquit, ad sacerdotia postulantur digniores; sed lex de admittendis indigenis hos minus dignos præfert exteris dignioribus, ut docet S. Thomas; lex igitur,

(23) Quanquam gravissima lex sit admittendi digniores ad beneficia, tamen optimæ notæ Theologi cum S. Thoma, indigenam minus dignum præferunt extero digniori, quia *ille, qui de gremio Ecclesiæ assumitur, ut in pluribus cōsuevit esse utilior, quantum ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus. Et propter hoc etiam mādatur Deuter.* 17. *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus. Quodlib.* 4. *quæst.* 8. *art.* 4. *ad* 4. Necesse est igitur, ut hæc lex sit divina, & naturalis. Huic autem argumento, quid reponi possit, ignoro.

tur, qua indigenæ ſunt admittendi, legem illam graviſſimam vincit; illam autem vincere non poteſt, niſi lex divina naturalis; ergo divino naturali jure beneficia indigenis tribuenda ſunt.

Sed vindicandi à calumnia ſunt cum ſuo magiſtro Theologi. Nemo ignorat dignitatem, aut abſolute, aut relative ſpectari; & minus dignos abſolute, ſed relative digniores, præferri in ſacerdotii petitione, tam humano, quam divino, & naturali jure. Tunc enim humana, & divina jura de eligendis dignioribus, non vincuntur, & ceſſant, ſed potiſſimum vincunt, & vigent. Sunt ſiquidem digniores, qui ſunt eccleſiæ utiliores, & è quibus majora eccleſiarum commoda exiſtunt. At nonne locus ab Anonymo deſcriptus, quem tribuit S. Thomæ loc.cit. Clericum aſſumit de gremio eccleſiæ, *quia ut plurimum conſuevit eſſe utilior, quantum ad bonum commune*? Igitur quando unquam S. Thomas originem dignitati antetulit? aut quæ unquam pugna inter ſe humana, divina, & naturalia jura commiſit? Audiendus eſt ipſe S. Doctor, 2. 2. quæſt.63. art.2. *Conſiderare oportet, quod* di-

dignitas alicujus personæ potest attendi dupliciter; uno modo simpliciter, & secundum se; & sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis; alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque, quod ille, qui est minus sanctus, & minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam secularem, vel propter aliquid hujusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, secundum illud 1. Corinth. 12. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatē; *ideo quandoque absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium illi, qui sunt simpliciter minus boni, melioribus præferuntur*. Lex igitur de admittendis indigenis, quatenus sint utiliores, est eadem, ac lex de admittendis dignioribus; quæ proinde præcipit etiam, admittendos exteros, si futuri sint utiliores. Non igitur per se origo, sed *commoda Ecclesiarum* spectanda sunt, ut ex Martino V. *epist. cit.* Cæterum S. Doctor hac eadem ratione disputat de præferendis consanguineis episcopi æque dignis extraneis, *quia saltem magis*

in

in hoc præeminent, quod de ipsis magis confidere potest, ut unaniniter secum negotia ecclesiæ tractent, cit. art. 2. Neque tamen tribuet Anonymus S. Thomæ, universe præferendos esse consanguineos.

Verum, ut ne tantopere argumento illo triumphet Anonymus; recenseat, amabo, omnium ecclesiarum fastos, ordinemque ab ipsis Apostolis repetat, profecto in unaquaque inveniet, gravissimam hanc divinam, & naturalem legem passim fuisse violatam. Nam nec Apostoli ipsi eorum, ubi nati sunt, locorum ordinati sunt episcopi; nec cives tantum, & indigenas constituerunt episcopos in iis, quas fundaverunt, ecclesiis. Marcus enim, Timotheus, Ignatius, Apollinaris, Maximinus, Dionysius exteri suis plebibus erant. Ita & Methodius cõfessor illustris, qui Patarẽsis, ac deinde Tyri episcopus fuit. Ita Eustathius egregius defensor Nicænæ fidei, Sydæ in Pãphilia natus, primum Beroeæ in Syria, tum Antiochiæ creatus episcopus. Ita Nazianzenus Zasimorum episcopus, Constantinopolitanam deinde sedem tenuit. Eandem rexit Chrysostomus presbyter Antiochenus,

qui

qui Constantinopolitanæ ecclesiæ diaconum ordinavit Cassianum Scytham. Paulinus patria Burdigalensis, presbyter ordinatus à Lampio Barcinonensi, Nolanæ ecclesiæ præfuit. Augustinus Tagastensis, factus est presbyter, & episcopus ecclesiæ Hipponensis. Sed quis erit finis, si omnes numerare velimus pietate, literis, & meritis in Ecclesiam claros, qui sacerdotia assecuti sunt contra legem Anonymi à Pastoribus sanctissimis, *Ecclesiarum commoda, & merita personarum* cogitantibus; iis præsertim seculis, in quibus canones, & jura maxime colebantur? Non affirmabit, opinor, per hos conculcatam Apostolorum traditionem, & jura humana pariter, ac divina; neque eos violatæ legis naturalis reos peraget; etiam si nulla sæpe illos urgeret Ecclesiæ necessitas. At nunquid ignorantiam invincibilem juris illius in eos cadere potuisse dicet, homo in Probabilistis agitandis acerrimus? Duorum igitur alterum oportet, ut vel sanctissimos Ecclesiæ Patres sempiternis flammis addictos, vel se liberiorem in procudendis legibus fateatur.

(24) Ber-

(24) Bernardi locus, ad quem desiluit Anonymus, de solis decimis agit, ut ipsa ejus verba ostendunt: *Thomasin. part. 3. discipl. lib. 1. cap. 10. num. 6. ac Mabillon. in notis ad eam epist.* Contendit enim Bernardus, non Monachos, sed solos Clericos, curam animarum gerentes, esse decimis alendos. Nihil hoc ad beneficia, nihil ad indigenas attinet. Nam Monachi, etiam indigenæ, à decimis arcẽtur; Clerici vero, etiam exteri, si modo verbum prædicent, & sacramenta ministrent, decimas percipiunt. At, inquit, si Monachi, etiam servientes universali Ecclesiæ piis officiis, & institutis, excluduntur à decimis; cur ii, qui Romæ degunt, alienos labores invadent, & inde colligent fructus, ubi minime laboraverunt? Decimæ igitur solis Clericis pro plebe laborantibus solvantur, per me licet. Sed quid decimis cum beneficiis? Quid origini, de qua disputatur, cum residentia?

Quod autem erit Anonymi consilium, si Monachos ipsos ostenderimus de-

F

(24) Bernardus omnes elevat prætextus Romanæ Curiæ, cum reprehẽdit epist. 397. alias 387. ad Odonem Ab. num. 2. Monachos beneficii cujusdam fructus percipere contendentes; ostendit enim, solis Clericis in diœcesi ministrãtibus eos cedere debere. *Quid, quod de altari contenditur, & hoc adversus filios Levi, idest, adversus Clericos... Huc accedit, quod EIDEM ECCLESIÆ, de qua præsens disceptatio est, Clerici soli deserviunt; vosque cum illis participii beneficiũ, cum quibus non exhibetis obsequium. Paulus clamat pro Clericis, imo ante ipsum Moyses:* Non alligabis os bovi trituranti. *Item:* Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? *Vos autem per contrarium convenimus. Qua audacia, ò Mo-*

decimas; & oblationes fideliũ percepisse? Non ne agnoscet, licere interdum vinum præsumere de vinea, quam quis nõ plantavit, & lac de grege, quem quis non pascit? ac recidere in caput suum molem argumentorum suorum? Audiat igitur Ivonem Carnotensem epist. 107. *Licet decimæ, & oblationes principaliter clericali debeantur militiæ, potest tamen Ecclesia omne, quod habet, cum omnibus pauperibus habere commune; quanto magis cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis, nõ in angaria bajulantes Christi crucem, sequuntur pauperem Christum?* Sane permissum est Monachis in Conc. Rom. anno 1078. Can. 8. & in Pictaviensi Can. 6. ut ex Romani Pontificis, aut Episcopi diœcesani consensu, decimas, & primitias perciperent. Id non diffitetur eo loco Bernardus, nam post verba relata ab Anonymo, ait: *Esto tamen; liceat & hoc ex dono Episcopi, nec ulla jam reputetur injuria, cum canonica excusat investitura.* Ac norunt omnes, quod fuerit jus Mona-

nachi, præsumitis, seu vinum de vinea, quam nõ plantastis, seu lac de grege, quem non pascitis? Quo pacto ibi exiguis, ubi nihil exhibetis? Certe si ita vultis, baptizate nascentes, sepelite morientes, visitate jacẽtes, copulate nubentes, instruite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contemnentes, absoluite resipiscentes, reconciliate pœnitentes; & in medio denique ecclesiæ aperiat os suum Monachus; cujus officium est sedere, & tacere. Sic fortasse dignum se probabit mercenarius mercede sua. Alioquin invidiosum admodum est, velle metere, vbi non seminaveris; sed & colligere, quod alius sparserit, etiam invitum. Vbi notanda sunt verba *eidem Ecclesiæ.* Neque enim sufficit si Ecclesiæ in genere serviatur. Nam Monachi illi orantes, & populi peccata lugentes, serviebant ec-

chorum Cluniacensium in decimis exigendis, & quam gravate tulerit S. Abbas Petrus, quod Innocentius II. levaverit Cistercienses onere decimarum Cluniacensibus solvendarum. Et quanquam probra ingererent, & asperius incessèrent Cistercienses, quorum Abbas erat Bernardus, jura tamen sui Ordinis Petrus tuebatur Pontificum, & Canonum decretis: *Nos*, inquit, *Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem prætendimus*, lib. 1. Epist. 28. Ergo Ecclesiæ auctoritate, non soli Clerici servientes particularibus ecclesiis admittuntur ad ecclesiæ fructus. Et hoc quidem in decimis; quid igitur in beneficiis, quæ latius patent?

Duo sunt hic minime prætermittēda, quorum alterum dedecet Anonymi pietatem, alterum judicii firmitatem. Illud quidem, quod occasionem illudendi monasticis Ordinibus captaverit recitatis satyricis versiculis: At *pateret quidem locus*, inquit S. Thomas opusc. 19. cōtra religiosorū obtrectatores, *multa replicandi contra prædictos detractores, sed eos divino judicio reservamus, cum eorum nequitia possit esse*

F 2 omni-

clesiæ universali. Longe enim præverterunt corruptis temporibus, è quibus S. P. Benedictus clamare cœpit: *Ma, per salirla, mo nissun diparte Da terra i piedi; e la regola mia Rimasa è giu per danno delle carte. Le mura, che soleano esser badia, Fatte sono spelonche; e le cocolle Sacca son piene di farina ria*. Romani igitur frustra obtendunt ministerium erga universalem Ecclesiam, cum lege divina naturali serviendū sit particularibus ecclesiis, in quibus sita sunt beneficia. Ac doctores id suadētes in sola lege naturali suas disputationes instruunt, ut ex Tap. &c.

omnibus manifesta ex his, quæ ex corde suo nequissime protulerunt, secundum sententiam Domini dicentis Matthæi 12. Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Interim Euripidæos versiculos versiculis occentemus:

Ἀχαλίνων στομάτων,
Ἀνόμου τ' ἀφροσύνας
Τὸ τέλος δυστυχία.

Hoc vero, quod parum sibi constet in usurpatione *Alienigenæ*. Nā in ipso libelli aditu, cum recenset consuetudines locorum, *Alienigena* dicitur, qui toti Regno exterus est; *Indigenæ* vero dicuntur, & ad beneficia vocantur, qui de Regno sunt. Mox afferens canones ecclesiasticos, *indigenarum* nomine eos appellat, qui vel de Canone ecclesiæ, vel in ipsa baptizati, & educati sunt; quibus canonum decretis illi ipsi excluduntur, qui antea ab ipso vocati sunt *indigenæ*. Nunc denique pro *indigenis* illos obtrudit, qui in suis ecclesiis resident, ac ministrant; quo fit, ut qui antea *alienigenæ* dicti fuerant, & à beneficiis repulsi, postrema hac notione *indigenæ*, ad beneficia adspirent. Ita apud illum nihil ratum, fixumque, nihil

con-

constans, atque cohærens, sed *utcumque est ventus, exin velum vortitur*. Quod sicubi cordato homine indignum est, certe non est ferendum, in ipsa definitione *indigenæ*, hoc est, in ipso quæstionis cardine, & summa.

(25) Ex origine beneficiorum repetit Anonymus legem illam, jam satis convulsam, de excludendis alienigenis. Quod autem nomine Beneficii accipiat omnem ecclesiasticam pecuniam, condonamus paucis illis horis, quibus nihil ad vivum resecari potuit. Beneficia, inquit, sunt fidelium oblationes, Clericorum curæ commendatæ, quibus stipendiis ipsi militent, ut Evangelium annunciantes de Evangelio vivant; *aluntur* enim, *ut prædicent*, inquit Gregorius. Non video quid hoc argumento obstruat alienigenis aditum. Nam

(25) Excludendos esse alienigenas, cõstat rursus ex ipsa beneficiorum origine, quæ describitur Act. c. 4. vers. 34. & 35. *Neque enim quisque egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vẽdebant; & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat*. Beneficia igitur sunt fidelium oblationes, ex quibus alendi jus habent Clerici, ex Apostolo I. Corinth. c. 9. vers. 4. & seqq. *Nunquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi? Quis milit at suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregẽ, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundũ hominem hæc dico? An & lex hoc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi*: Non alligabis os bovi trituranti. *Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*. Quod breviter expressit Gregorius hom. 19. in Iob. cap. 10. *Aluntur, ut prædicent*.

Nam militare, & Evangelium annunciare ipsi etiam possunt; ac proinde aliena stipendia merere, & de Evangelio vivere. Porro cum ea scriberet Apostolus, exteri erant fere omnes, quotquot per orbem terrarum Evangelium prædicabant; illi præsertim, quibus Dominus ordinavit, ut Evangelium annunciarent, & de Evangelio viverent. Debita igitur exteris stipendia vindicabat Apostolus. Rursus eo loco contendit Paulus, licere sibi propter Evangelii laborem, & militiam, Corinthiorum facultatibus sustentari, quibus tamen ipse, quippe Tharsensis, alienigena prorsus erat. An rejecisset Paulum cum sua disputatione Anonymus exceptione originis, & ad Tharsenses illum suos alendum remisisset? Beneficiorum igitur origo exteris favet, & Paulus cum designat primordia beneficiorum, exterorum causam agit, ac pro illis admittendis pugnat.

Accedit, quod perspicientibus illam ipsam originem beneficiorum, quam tradit Anonymus, constat, non solum cum pauperibus alienigenis communicatas fuisse fidelium oblationes, sed etiam

pro

pro solis alienigenis interdum fuisse corrogatas. Scribit enim Lucas in Act. cap. 11. fideles Antiochenos per manus Barnabæ, & Sauli pecuniam largiter erogasse Palæstinis christianis, utique alienigenis. Et Apostolus 1. ad Corinth. cap. 16. *De collectis*, inquit, *quæ fiunt in Sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite... Quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem*. Inter tot autem christianos, nemo unus inventus est, qui indignaretur, bona ecclesiastica exteris erogari, nemo violata jura, nemo exsuctum sibi sanguinem questus est, nemo gladium arripuit.

(26) Infestum cum habeat Apostolum, unde sibi suppetias acciverat, nihilo secius adversum habet canonem 25. quem recitat Concilii Antiocheni; in quo videmus apertissimis verbis admissos alienigenas ad communionem ecclesiasticorum bonorum. Præcipit enim Canon, ut Episcopus res ecclesiasticas distribuat in omnes egentes; ipse autem eorum, quibus indiget, si tamen indiget, sit particeps ad usus necessarios, *& fratrum, qui apud eum*

(26) Eadem conditio beneficiorum, ut iis soli Clerici, & pauperes indigenæ alerentur, seculis sequentibus retēta est. Legimus enim in Concilio Antiocheno can. 25. & refertur in can. episcopus 12. quæst. 1. *Episcopus ecclesiasticarum rerū habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, & timore Dei. Participet autē & ipse, quibus indiget, (si tamē indiget) tam in suis, quam in fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis; ita ut in nullo qualibet occasione fraudētur, juxta Sanctum Apostolum sic dicentem*: Habentes victum, & tegumentum, his contenti sumus. Bona igitur Ecclesiæ in ipsa diœcesi expendenda sunt.

eum hoſpitio excipiuntur ; καὶ τῶν παρ' αὐτοῦ ἐπιξενομένων ἀδελφῶν. Ergo interdum alienigenæ non permiſſu modo, ſed juſſu etiam ſacrorum canonum, eccleſiaſtica pecunia alendi ſunt. At ſaltem in ipſa diœceſi piis operibus inſumendæ ſunt opes eccleſiæ ex canone Antiocheno. Quæ iſthæc nova *indigenæ* definitio eſt? Ita ne advenæ, & peregrini ſtatim indigenæ facti ſunt? Ita ne tota labes canonicæ diſciplinæ; totaque divinarum, ac naturalium legum vaſtitas, ſolo alienigenarum adventu, præſentiaque reparatur?

(27) Aliena ſunt à quæſtione ſubjecta, quæ diſputat de uſu eccleſiaſticorum proventuum. Quid enim ad indigenas, quod partitione bonorum eccleſiæ ſexto ſeculo inſtituta, non ſit immutata eorum natura? Quod Clerici eccleſiaſtica ſubſtantia ali poſſint, ſi tamen indigeant? Nam nihil in hoc melior eſt indigenarum conditio, quam exterorum; ac ſicuti damnandi sūt indigenæ, ſi male utantur, ita commendandi exteri, ſi rite expendant. Quor-

(27) Sexto ſeculo incunte, *refrigeſcente charitate*, eccleſiaſticorũ bonorum diviſio facta eſt; tributa pars una epiſcopo, altera eccleſiæ, reliqua Clericis diœceſis. At diviſio illa naturam bonorũ non mutavit. Quare epiſcopi adhuc illorum ſunt non domini, ſed diſpenſatores: *epiſcopus rebus eccleſiæ, tanquã commendatis, non tanquam propriis utatur*, inquit Carthaginenſe IV. an. 398. can. 31. Itaque etiã nũc epiſcopus ſumere debet ex ſibi tributa parte, quod neceſſarium fuerit, *ſi tamen indigeat*, reliquum erogare pauperibus. Clerici vero utantur parte illa attributa Clericis ſervientibus, quatenus indigent, reliquum pauperibus erogaturi Quid igitur ſupereſt, quod poſſit exteris erogari?

Quorſum igitur hæc ingeruntur; niſi forte, ut nullum ſit verbum, quo non ſuo veluti gladio juguletur? Horret animus meminiſſe, quid ipſe Anonymus, altero ſcripto edito, docuerit de beneficiorum fructibus; intereſſe ſcilicet publicæ rei, ut laicorum familiæ bonis eccleſiaſticis pinguescant, quo majorem illis pecuniam Reges imperare poſſint, ac pares ſint pendendis amplioribus tributis. Hem virum ſeverioris diſciplinæ canones plenis buccis crepantem, & revocandis ethicæ chriſtianæ ſtudiis cœlitus miſſum! Huc demum evaſit ardor excludendi alienigenas ab eccleſiaſticis bonis, ut laicorum domus de victimis comederent adipes, & hereditate poſſiderent Sanctuarium Dei.

Geometrica mente Anonymi, atque omni arte cogitandi, ac methodo philoſophandi prorſus indigna eſt argumentatio illa, quam inſtruit ex enumeratis ſacræ pecuniæ partibus. Cum enim eccleſiæ bona, inquit, partim Epiſcopo, partim Clericis Eccleſiæ deſervientibus, partim pauperibus eroganda ſint, nulla pars reliqua eſt, quæ alienigenis tribuatur. Nō equidē abiret, quin exſibilaretur, ſiquis

Neapolitanos à beneficiis arcere vellet hac argumentatione Anonymi: Cum Episcopis, Clericis, & pauperibus distribuenda sint bona ecclesiæ, quæ pars reliqua est, quæ Neapolitanis tribuatur? Profecto illa ipsa, quæ cedit Episcopis, Clericis, & pauperibus, cum ex Neapolitanis sint Episcopi, Clerici, & pauperes. Ita prorsus alienigenæ ad eas bonorum ecclesiasticorum partes vocantur, quæ designatæ sunt Episcopis, Clericis ecclesiæ deservientibus, & pauperibus, cum possint ex alienigenis alii episcopatum gerere, alii ecclesiæ deservire, alii inopia fortunarum conflictari.

(28) Hactenus rationum momentis firmata sententia, ad αὐτοψίαν sese Anonymus vertit; atque oculis ipsis rem subjecturum pollicetur, siqui forte minus ratione valeant. Mirum certe, quod oculos esse cæteris credat. *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?* Ipsa, inquit, offerentium voluntas, ut in formulis Marculfi le-

(28) Siquis autem minus ratione uti velit, & ea tantū credat, quæ oculis subjecta sunt; ipso certe oculorum intuitu cernere potest, etiam post divisionem, naturam beneficiorum hanc esse, ut illis frui nequeant extranei. Legimus enim inter formulas Marculfi hanc instituendi beneficii formulam *Capitul. Bened. Lev. lib. 7. c. 132. Capitulari 8. lib. 3. offero Deo, atq; dedico omnes res, quæ hac in chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorū, ac parentum, & filiorum, ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, Missarumq; sollenniis, orationibus, luminariis, pauperum, ac Clericorum alimoniis, & cæteris divinis cultibus, atque illius ecclesiæ utilitatibus. Siquis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero, atque dedico, districtissimas reddet rationes.* Voluntas igitur offerentium excludit exteros à beneficiis.

legimus; excludit alienigenas à bonis ecclesiasticis. Necesse est, oculos mihi erutos, aut obtusos credam, qui sententiam tam dilucide expositam non cernam; sed nec eam cernent, opinor, vel oculatissimi. Quid enim? quod pauperum, & Clericorum alimoniis offerantur res fidelium, propterea exteris nefas est illas attingere? Nunquid nec pauperes illi esse possunt, nec Clerici? An forte repelluntur alienigenæ, quia non licet oblata sine piaculo inde auferre? At cur id non metuendum ab indigenis? Quid erat igitur, quod oculorum intuitu in formula Marculfi cerneremus? *Gerræ germanæ, atque ædepol liræ, liræ.*

(29) Summum Canonici juris magistrum Gratianum contra exteros diserte scripsisse ait, cum docuit, debere Episcopum ex bonis ecclesiæ, *licet omnibus debeant esse communes*, primum sibi, & suæ ecclesiæ deservientibus necessaria subministrare, reliqua, quæ supersunt, fidelium usibus ministraturum. Cur hic fidelium no-

(29) Idem docet summus Canonici juris magister Gratianus *ad can. Nulli episcoporum 29. XII. qu. 1. §. 1. Sicut perfectione charitatis manente, secundũ discretionem ecclesiarum, distributio fit ecclesiasticarũ facultatum, dũ aliis possessiones hujus ecclesiæ ad dispensandũ committuntur; ex quibus licet res ecclesiæ omnibus debeant esse communes, primum tamen sibi, & SVÆ ECCLESIÆ DESERVIENTIBVS necessaria subministret, reliqua, quæ supersunt, fidelium usibus ministraturus; ita & prabendæ ecclesiarum, eadem charitate manente, pie, & religiose possunt distribui; nec tunc rebus ecclesiæ, ut propriis, sed ut communibus utilitatibus deservituris; ut ex his, quæ sibi assignata sunt, primum sibi necessaria percipiat, siqua vero suis necessitatibus supersunt, in communes usus ecclesiæ expendat.* Suntque advertenda verba illa: *Suæ ecclesiæ deservientibus.*

nomine non veniant alienigenæ ? Cur non & ipsi deservire possint ecclesiæ? Cur hæc Gratiani verba non intentantur etiam indigenis non residentibus ? Annuit hic Anonymus, cui plerumque alienigena etiam is est, qui licet in regione natus, ibi tamen non commoratur, & residet. *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?* Sunt igitur exterorum beneficia illa, quæ à nõ residentibus possidentur; atque adeo cum Tridentinum agnoscit beneficia liberæ residentiæ, aperte agnoscit beneficia exteris rite collata.

Jam vero, ut Anonymum omni præsidio spoliemus, & omnẽ S.R.E. Cardinalibus, ac Prælatis in Romana Curia degentibus, quos maxime petit, intentam calumniam obteramus; non diffitebitur Anonymus, licuisse interdum Episcopis pietate celeberrimis, in regni ministerium assumtis, sine ulla religione residentiæ, in aula Principum versari. Nam ut mittamus Leandrum Hispalensem, Gregorium Antiochenum, Ægidium Rhemensem laicorum Principum legationibus functos, S. Cunibertus Coloniensis, & Arnulfus Metensis Episcopi, Dagoberto,

& Si-

& Sigeberto à consiliis fuere, regnique gerendi partes obiere, ab ecclesia quisque sua procul agentes: S. Leodegarius Episcopus Augustodunensis Major fuit domus Childerici II. regnique administer. Ipsæ formulæ Marculfi, ut ad suam αὐτοψίαν Anonymum revocemus, fidem faciunt, Galliæ Reges primæ stirpis, non aliter olim jus in palatio dixisse, quam ex Episcoporum consilio; *Nos ergo in Dei nomine in Palatio nostro ad universorum causas recto judicio terminandas, una cum Domnis, & Patribus nostris Episcopis, vel cum plurimis Optimatibus nostris . . . . resideremus.* Sedulam enim, & salutarem operam rei christianæ, & ecclesiis suis sese collaturos existimabant apostolici illi Patres; cum regnorum gubernaculis assiderent; nam tunc potissimum utilitates ecclesiasticas procurabant; atque omni ope aderant ecclesiis, cum ab ecclesia sua corpore abessent. Eam ob rem can. 55. Concilii Francofordiensis commendaverunt Patres gratiam residentiæ per Carolum M. ab Adriano I. impetratam Hildebaldo Archiepiscopo Coloniensi; sicut jam antea Angilramno Metensi;

ut assidue in aula versaretur propter *utilitates ecclesiasticas*. Hos increpet, & inclamet Anonymus; oggerat Bernardum, & Gratianum, majusculis literis objiciat *Eidem ecclesiæ, & suæ ecclesiæ deservientibus Clericis* esse fructus beneficiorum percipiendos. Hos multet proventibus ecclesiarum suarum, ac neget beneficiis alendos, quos tamen Justinianus insigniter indemnes præstare studuit; nimirum, ne cui episcopo propter ecclesiæ, aut provinciarum, vel regni utilitates à suo cardine abscedenti, fraudi esset absentia, vetuit *Novella* 123.*cap*.26. ne creditores, donec ad ecclesiam suam remeassent, ullam illis molestiam exhiberent. Scilicet tantum abest, ut suis redditibus privarentur absentes, ut ne ad solvendum quidem æs alienum, tantisper dum redirent, adigi possent.

Quod si laicali in aula impune versari possunt Clerici illi, qui Cathedralibus, aut Metropolitanis Ecclesiis adnexi sunt; si regnorum negotiis intendentes, & regum consiliis adhibiti, suis beneficiis, eorumque fructibus non exciderunt; cur id non liceat Clericis, qui in Romana Curia

ria versantur propter ecclesiasticas utilitates? Cur non liceat Cardinalibus in Summi Pōtificis senatum cooptatis, præsertim qui nullis Cathedralium titulis affixi sunt, *QVORVM CONSILIO APUD SANCTISSIMUM ROMANUM PONTIFICEM UNIVERSALIS ECCLESIÆ ADMINISTRATIO NITITUR*, inquit, *Tridentinum sess.25. cap.1.* Cur invidetur Civibus, & Patriciis nostris, sive in Romana Curia, sive apud Reges, resque publicas ecclesiasticis muneribus, & legationibus summa cum laude, & ecclesiæ utilitate fungentibus? Cur eos conatur Anonymus de publica Ecclesiæ luce in angulos titulorum suorum, atque à negotiis gravissimis rei catholicæ ad baptizandos nascentes, & sepeliendos morientes revocare? Non quod ulla sit obscuritas ecclesiastici ministerii; sed quod Deus dederit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alio vero Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum.

(30) Legem igitur divinam naturalem, cui nec humana auctoritas, nec consuetudo prescribit, violat Romana Curia, cum beneficia ecclesiastica exteris largitur; atque adeo statum ecclesiæ perturbat.

(30) Ex ipsis hactenus Anonymi argumentis, quam explanatissime commonstravimus, ecclesiasticas facultates, &

be-

ut assidue in aula versaretur propter *utilitates ecclesiasticas*. Hos increpet, & inclamet Anonymus; oggerat Bernardum, & Gratianum, majusculis literis objiciat *Eidem ecclesiæ, & suæ ecclesiæ deservientibus Clericis* esse fructus beneficiorum percipiendos. Hos multet proventibus ecclesiarum suarum, ac neget beneficiis alendos, quos tamen Justinianus insigniter indemnes præstare studuit; nimirum, ne cui episcopo propter ecclesiæ, aut provinciarum, vel regni utilitates à suo cardine abscedenti, fraudi esset absentia, vetuit *Novella* 123.*cap.*26. ne creditores, donec ad ecclesiam suam remeassent, ullam illis molestiam exhiberent. Scilicet tantum abest, ut suis redditibus privarentur absentes, ut ne ad solvendum quidem æs alienum, tantisper dum redirent, adigi possent.

Quod si laicali in aula impune versari possunt Clerici illi, qui Cathedralibus, aut Metropolitanis Ecclesiis adnexi sunt; si regniorum negotiis intendentes, & regum consiliis adhibiti, suis beneficiis, eorumque fructibus non exciderunt; cur id non liceat Clericis, qui in Romana Curia

ria versantur propter ecclesiasticas utilitates? Cur non liceat Cardinalibus in Summi Pōtificis senatum cooptatis, præsertim qui nullis Cathedralium titulis affixi sunt, *QUORUM CONSILIO APUD SANCTISSIMUM ROMANUM PONTIFICEM UNIVERSALIS ECCLESIÆ ADMINISTRATIO NITITUR*, inquit, *Tridentinum sess. 25. cap.* 1. Cur invidetur Civibus, & Patriciis nostris, sive in Romana Curia, sive apud Reges, resque publicas ecclesiasticis muneribus, & legationibus summa cum laude, & ecclesiæ utilitate fungentibus? Cur eos conatur Anonymus de publica Ecclesiæ luce in angulos titulorum suorum, atque à negotiis gravissimis rei catholicæ ad baptizandos nascentes, & sepeliendos morientes revocare? Non quod ulla sit obscuritas ecclesiastici ministerii; sed quod Deus dederit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alio vero Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum.

(30) Ex ipsis hactenus Anonymi argumentis, quam explanatissime commonstravimus, ecclesiasticas facultates, & be-

(30) Legem igitur divinam naturalem, cui nec humana auctoritas, nec consuetudo prçscribit, violat Romana Curia, cum beneficia ecclesiastica exteris largitur; atque adeo statum ecclesiæ perturbat.

beneficia, cunctis, qui virtute, & scientia idonei sint, sua natura, & institutione esse communia; nec magis quidquam adversari humano, divino, & naturali juri, quam disputatio Anonymi de excludendis alienigenis, pro quibus disputat Paulus, tota florentissimorum seculorum pugnat antiquitas, & resipiscentium Principum exempla, Conciliorum canones, & Primarum Sedium consuetudines conjurant. Quo fit, ut non possit Summus Pontifex istiusmodi perversis Anonymi legibus non obluctari, ad tuendam juris canonici auctoritatem, & disciplinam.

(31) Hisce de caussis Princeps oppressis populis opitulari, etiam armis debet.

(31) Quamobrem Rex Catholicus, cui arma Deus induit, ut Ecclesiæ jura defendat, huc vertere debet aciem auctoritatis suæ, ut scripta procaciora contra Romanæ Ecclesiæ dignitatem, inulta esse non patiatur. Eapropter Regii Magistratus ægerrime tulerunt, ac rejecerunt, pro sua fide, & officio, Anonymi libellum; & ad inauditam hominis confidentiam omnes Civitatis Ordines exhorruerunt. Pudebat etiam in religiosissima urbe, cujus integerrimam fidem Pontificia sæpe oracula commendaverant, debitam

Apo-

Apoſtolicæ Sedi reverentiam diſputationibus, & ſcriptis eſſe vindicandam; imo, quod eſt graviſſimum, ex eadem fideliſſima urbe ſcripta prodire, tantis conviciis, & erroribus contra Petri Cathedram redundantia, ut vix è Gebennenſibus lacunis aura peſtilentior efflari poſſit. Dolebant, quod Anonymus non ſolum crimini verteret Clementi XI. quod eo jure uteretur, quo Sanctiſſimi Pontifices hactenus uſi ſunt; ſed etiam injuſtitiæ daret Regi noſtro, ſi ea conditione regnum Neapolitanum gerere vellet, qua ſuperiores Reges Auſtriaci illud adminiſtrarunt. Quod illud tanti Pontificis facinus ferro, & igni expiandum deſignaret. Quid ſi novis id legibus, & contra præteritorũ temporum conſuetudinem Clemens invexiſſet? Quid ſi jugum aliquod decreto ſuo ſuſcepiſſet imponere? Quam atrociter ille, quantaque verborum acerbitate debacchatus eſſet? Nunquam tamen christiani homines ita in Vicarium Chriſti, & Sanctum Domini animati ſunt; neque ulla unquã ſuſpicione injuriæ ab amore, & cultu Romanæ Eccleſiæ divelli potuerũt: *In memoriam B. Petri Apoſtoli* (aurea ver-

(32) Quare Rex noster, reputans injurias nobis à Curia Romana illatas, eo quod sanguinem nostrum exhauriat, ingentem quotannis pecuniam, ad quindecies cẽtena millia scutatorũ exsugens, tantis malis occurrere statuit; neq; enim sine labe injustitiæ cõmittere potest, ut subsidiis studiorum destituamur, & objiciamur insidiis domesticorum hostiũ, qui nec patriã, nec Regem prodere dubitant, ut præmium quodcumque ex ipsis nostris substantiis ab aula Romana consequantur. Vnde fit, ut præter præclara quædam ingenia, quæ solo virtutis amore ducuntur, nõ alios habeamus Presbyteros, quam aut rudes Missarum recitatores, aut patriæ, & Principis proditores; ac proinde vel ligone, vel catena dignos.

ba sunt Caroli M. viro Principe, & Catholico digna) *honoremus S. Romanam Ecclesiam, & Apostolicam Sedem; ut quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat ecclesiasticæ magistra rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas; & licet vix ferendum ab illa S. Sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus*. Concil. Triburien. *can.* 30. Ita Rex magnus, & Imperator summus de S. Sede loquitur, si jugum imponatur vix ferendum; non ita loquitur Anonymus, cum Apostolicæ traditiones, & vetera instituta servantur.

(32) Deinde ut classicum canat, tragice exaggerat Neapolitanorũ calamitates, quibus confici ait, ob ecclesiastica beneficia exteris collata. Summa injuriarum capita sunt, pecuniarum transvectiones, quibus criminatur Romanos sugere sanguinem nostrum; & horrenda Neapolitanorum Clericorum, vel ignorantia, vel in Regem perfidia, unde malorum omnium colluvies, & ecclesiæ, sacrarumque rerum ne-

neglectus, atque deformitas.

Obstrepuere semper hostes fidei, & *veterem in limo ranæ cecinere querelam*, cum ipsa ecclesiastica pecunia natam, adversus Romanæ Ecclesiæ divitias. Ita gentiles apud Prudentium in *hymno Laurentii*, objiciunt familias ad egestatem redactas, & sacrorum Antistites exhaustis civium domibus locupletatos. Verum sicuti non mirandum, quod illi nulla Christi religione respersi, sacrarum oblationum conditionem, aut ignorarent, aut contemnerent; ita turpissimum est, inter Ecclesiæ filios de rebus ecclesiasticis non aliter disputari, quam si adhuc humani juris essent; & bona Deo dicata, quæ à Tridentino dicuntur *bona Dei*, & à sacris canonibus, *Patrimonium Christi*, etiam sanguinem laicorum nuncupari; turbasq; excitari, atque acrius, quam in prædones, arma corripi, cum pro *commodis ecclesiarum*, & *meritis personarum* distribuuntur à Christi Vicario, qui est Dispensator fidelis, quem constituit Dominus super familiam suam. Sed quî posset sanius de beneficiis sentire, qui eo sanguine saginandas esse laicorum familias docuerat?

At commodis nostrarum ecclesiarum consuleretur amplius, si Clericis nostratibus beneficiorum fructus provenirent. Istiusmodi homines, suas tantum rationes putantes, nihil de communi salute sollicitos, ad Menenium Agrippam allegare velim, quo suo illo de membris descifcentibus apologo doceat, eo conferendam esse omnium membrorum opem, unde totius corporis compages fovetur, alitur, & vegetatur. Hoc argumento non modo nihil dolemus, sed certatim pecuniam, & substantiam conferimus ad regiam Caroli aulam transuehendam, apprime intelligentes, inde nobis, & toti regno vitam, & sanguinem derivari. Non decet autem, cum tam præclare de terreno regno sentiamus, tam abjecte de Christi regno sentire; ut velimus rationes subducere, summā inire, & veluti subreptum, aut interversum lugere, quidquid majorum nostrorum liberalitate Deo dicatum, & oblatum Ecclesiæ Matri est. Cum præsertim intelligamus, pecuniam ecclesiasticam, quæ Romam transmittitur, in pias causas, in ecclesiarum, pauperum, & præcipue christianorum principum subsi-

ſubſidia largiſſime dimanare. Eas autem rationes Anonymo ſupputandas relinquimus; modo tamen ſummam expenſi non nimis extenuet, ſicut ſummam accepti in immenſum auxit.

Cæterum eximiæ gloriæ loco ponere deberent, qui Neapolitani nominis ſtudium præſeferunt, ſi liberalitate, & munificentia erga Romanam Eccleſiam nullis regibus, nullis populis concederent; de qua virtutis gloria certarunt ſemper chriſtianæ nationes, quæ Romanam Sedem uſque adeo coluerunt, ut ſe illi ultro vectigales facere, eique tributa pendere, & regna offerre, ab eaque in feudum impetrare geſtirent. Ita Hiſpaniam Gothi, Saxoniam Carolus M. Unghariam Stephanus, Bohemiam Uradislaus, Ruſſiam Demetrius, Luſitaniam Alphonſus, Croatiam, Dalmatiam, Poloniam, Angliam, Duces, & Reges ſui Romanæ Eccleſiæ obtulerunt. Ut mittamus ingentes opes, provinciarum tractus, & ditiones ampliſſimas, quas ſuo nomine illa obtinuit, atque etiam obtinet, donantibus optimis Principibus; qui minime queſti ſunt, hauſtum ſibi ſanguinem à Romanis Pontificibus;

ſed

ſed potius profeſſi pro ſancta illorum Sede libenter cum opibus, & ſubſtantiis ſuis ſanguinem, vitamque daturos.

Alterum injuriarũ caput in inſigni calumnia nititur, qua Neapolitanum Clerum lacerat. Non enim dubitat probroſiſſimis titulis Neapolitanos Presbyteros appellare rudes miſſarum recitatores, ligone, aut catena dignos, in nervum potius, aut in agrum ablegandos, quam ſui Ordinis inſignibus honeſtandos.

Non hic opus habemus Cleri Neapolitani cauſam agere, cujus famam ubique probatiſſimam nemo ante Anonymum auſus eſt allatrare; ſiquidem cognitione ſacrarum literarum, potiſſimum vero moribus, & inſtitutis ſanctiſſimis omnes eccleſias provocare poteſt; cujus exempla Innocentius XI. P. M. Epiſcopis ad informandam Cleri diſciplinam proponere conſueverat; & ex quo ampliſſimi, & rerum geſtarum gloria celeberrimi prodiere Præſules, Cardinales, Summi Pontifices, licet Anonymi lex de excludendis alienigenis nulla unquam fuerit. At excepit Anonymus, non inficior, præclara quædam ingenia, quæ ſolo virtutis

amo-

amore ducuntur, nullisque beneficiis illecti sese in ecclesiastico ordine celebraverunt. At si non sunt beneficiis alliciendi, qui solo virtutis amore ducuntur, quibus demum invitandis, & excitandis conferenda erunt beneficia? An, qui alio prorsus, quam virtutis amore tenentur? Quod autē metuat Anonymus, ne Clerici Neapolitani beneficia captantes à Romana curia, Regem, & patriam prodant, id malum non ex eo proficiscitur, quod Romanus Pontifex exteris beneficia, sed potius quod indigenis conferat. An vero à solis laicis impetranda sunt beneficia, ut ita Clericos habeamus, minus quidem, si ita placet, agrestibus curis, sed impendio magis aulæ, & castris comparatos; atque adeo destinatos non altaris ministerio, sed laicorum mancipio? Postremo parcius jactet Anonymus contumelias contra ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei; & Chrysostomo obaudiat monenti, *ne siqui mali videantur Sacerdotes, propterea contemnendos* existimet; *nunquid enim propter terram vilem pretiosum aurum contemnitur?* hom. 43. in Matth. *Qui enim Christum diligit, cujus-*

mo-

modicumque sit Sacerdos, eum diligit, hom. 10. in epist. ad Thessal. *Quisquis vero Dei ministrum contemserit vindictæ, & supplicio subjicietur; & qui divinam hanc dignitatem contemserit, acerbissimas suæ despicientiæ pœnas luet.* Cyrillus *lib.* 13. *de Adorat. in spirit. & verit.* Hæc obsecrat Neapolitanorum Clericorum minimus, ex agro, & ligone ad hoc certamen arcessitus à Domino, qui olim à pascendis gregibus Davidem accivit ad prosternendum audaciam Philistæi, qui exprobrabat agminibus Dei viventis.

Juvabit, opinor, paucis exponere, quam infeliciter cum Clericis Neapolitanis ageretur, & quam multis intercepta esset spes obtinendi beneficia, adeoque adjumenta colendorum studiorum, ac sublata piorum laborum præmia, si iis legibus res beneficiaria gereretur, quas Anonymus ex divino, & naturali jure deduxit. Primum, quod spectat episcopatus, nullus posset ex Clericis Neapolitanis ad episcopatum cujuscunque ecclesiæ, etiam hujus regni, adspirare, secundum canones ab eo productos. Nam Cœlestinus potestatem facit Clericis ecclesiæ vacan-

cantis resistendi extraneis, qui non sunt de sinu illius ecclesiæ; à Leone vero sancitum est, ut ex Presbyteris, & Diaconibus ejusdem ecclesiæ optimus eligatur. Neapolitani igitur ad amplissimos episcopatus, ad quos secundum hodiernam displinam vocantur, ascendere non possent, si Anonymi argumenta valerent. Ex canone autem 13. Constantinopolitani IV. ab Anonymo relati, ad solam Metropolitanam Sedem, sed iis solis, qui sunt de canone Magnæ Ecclesiæ, ascendere liceret. Conducibilior est proinde rationibus Neapolitanorum præsens consuetudo, qua Metropolitanæ Ecclesiæ Neapolitanæ præponitur, non solum civis, sed patricius, & quidem in Cardinalium collegium allectus; cæteris vero ecclesiis totius regni præficiuntur passim probatissimi quique ex Neapolitanis Clericis; quod ipsis quidem incitamento esse solet, vacantibus autem ecclesiis maxime salutare. Præstat enim è sinu cultissimæ Civitatis, & Ecclesiæ, episcopos in sacris rebus exercitos, & subactos dari montanis, & incultis interdum populis, quam Clericos assumi ibidem enutritos, sacra politia, li-

terisque non semper instructos. Itaque nihil infestius Neapolitano Clero accidere potest, neque est, quod magis studiorum subsidia, & alacritatem infringere valeat, quam si conferantur episcopatus ea ratione, quam restituere nititur Anonymus, & dolet esse antiquatam. Neque gravior pœna irrogari posset Neapolitanis Clericis per Romanam Curiam, quam ut hæc Anonymi lex vinceret, & valeret.

Neque lætandum Neapolitanis esset, si lex illa Anonymi servaretur quoad inferiora sacerdotia. Nam si ex formula Marculfi, ex Bernardo, & Gratiano, necesse est, ut Clerici iis ecclesiis deserviant, quarum fructus percipiunt; omnes patricii sanguinis primores, ac cives sapientia, & laboribus clari, qui ministeriis amplissimis funguntur, revocandi essent ad campestres ecclesias, quarum proventibus ingentia munerum, & itinerum impendia sustinent, quibus obeundis etiam patrimonia suarum familiarũ libenter insumunt, & exhauriunt, ut pro se quisque Patriæ, Ecclesiæ, & Dei gloriam amplificent. Legibus igitur suis Patriæ, & Cleri

ri nostri decus it perditum Anonymus ; cum illius honori maxime velificari videtur. Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κ' ὀυκ ὀνήσιμα.

Postremo loco unusquisque intelligit, quantum Regi nostro sit profuturum Anonymi opusculum, cum Patriæ,& Ecclesiæ sit adeo infensum. Omnes enim canones, qui ex Anonymi sententia Romanum Pontificem damnant, exteris largientem beneficia regni hujus, eumque tanquam incorrigibilem objiciunt armis piorum Principum, rejiciunt, atque proscribunt morem Austriacorum Regum, nominandi ad insignes plerasque Neapolitani regni ecclesias Clericos Hispanos, Et quidem eo gravius, quod licet Pontifices beneficia exteris conferant, nunquam tamen interdixerunt, ne darentur indigenis; imo quoad res patitur, potior est indigenarum conditio. At Regibus Hispaniæ, non solum licet nominare alienigenas; quemadmodum etiam in regnis, ubi ex indulto Apostolico excluduntur exteri; ut de Regno Valentiæ refert Christophorus Crespi de Valdaura observatione 6. §. 2. num. 69. ex Bulla Xysti V. edita an. 1587, sed etiam cavent, ne quædam regni Nea-

politani ecclesiæ conferantur indigenis; ad quas sollenne habent, ut hispanos mittant Episcopos. Quo nunc cum Apostolicis suis traditionibus, Domini præcepto, & Athanasii verbis Anonymus? Si adeo ille indignatus dicitur Gregorium missum è Cappadocia, neque aliud illi displicuit, quam distantia quinquaginta mansionum; æquo animo ferret evocatos episcopos ab ultimis terrarum finibus, quorum non solum mores, & vitæ institutum ignoret populus, sed neque linguam intelligat? Sed uti Athanasius in præpostera illa electione temeritatem Constantii, & indignitatem Gregorii damnaverat, ita nos in Austriacis Nominationibus Regũ religionem, & dignitatem electorum suspicimus, & commendamus; locorum distantia nihil obstante, & Anonymo cum legibus suis nequicquam obstrepente. Nihil est igitur, quo Anonymus Summo Pontifici, tanquam Ecclesiæ perturbatori, & incorrigibili intentet vim, & arma; neque ulla injuria est, à qua Neapolitanos debeat Rex Catholicus vindicare, nisi hæc ipsa, quod libellus Neapoli, Regi, Ecclesiæ, & Pontifici iniuriosus,

Ju-

Jura Regni Neapolitani inſcriptus ſit. Quo in ſuſpicionem prope adducta fuiſſet incontaminata illa; & à Petro accepta erga Apoſtolicam majeſtatem reverentia Neapolitanorum, niſi privatæ unius viri confidentiæ omnes undique reclamaſſent, & Magiſtratus libellorum vulgandorum curſum inhibuiſſent.

(33) Ut ſuadeat, juſtam hanc eſſe belli cauſam, nec ſolum poſſe, ſed etiam debere Catholicum Regem armis propulſare Neapolitanorum injuriam, ob collata exteris beneficia, utitur exemplo Ivonis Carnotenſis, quem ait, Regis auxilium imploraſſe, cum Legatus Summi Pontificis, duobus celebratis, tertium concilium indixiſſet intra eundem annum, præter canonum præſcriptionem. Sed quoad oculorum intuitu perſpicere, & judicare poſſumus (quod ſaltem nobis per Anonymum licet) non Ivo ad Regem confugit, ſed contra Rex Philippus Ivonem conſuluit, quid facto opus eſſet, cum Legatus ad tertium concilium invitaſſet Prælatos regni ſui. Reſpondet Sanctiſſimus Epiſcopus epiſt. quæ nobis eſt 61. non ſe id futurum putare, parendum tamen

(33) Ivo Carnotenſis ad Regē recurrit etiam in re, quæ levioris momēti videri poſſet, veluti cum concilium intra eundem annum cogeretur ſæpius, quam Canones ſtatuiſſent.

men si fuerit indictum. *Si autem aliquis pro culpis suis indulto sibi congruo spatio à Legatis Apostolicis vocatus fuerit, non potest subterfugere, quin ad diem sibi præscriptum occurrat, nisi eum legitima causa detineat.* Injustis vero oppressionibus resistendum ait, sed ex Episcoporum consilio: *Vos habito cum eis communi consilio injustis oppressionibus pro persona vestra resistite.* Quo autē pacto resistendum sit non hic explicat Ivo, sed in *epist.* 183. *Quoniam judicia Romanæ Ecclesiæ à nemine foris retractari posse, eadem Romana Ecclesia docente didicimus; siqui aliquando se prægravatos ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant; & inde expetant levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen.* Non laicorum opem, & arma contra Ecclesiam implorandam censebat vir ille fortissimus; imo ne contra laicos quidem ea ratione causas ecclesiasticas defendi voluit, cum populo Carnotensi graviter interdixit, ne, se Vicecomitis Carnotensis scelere prægravatum, & vinculis constrictum, armis libera-

re

re vellent: *Nec enim decens est*, inquit, epist. 100 *ut qui armis bellicis ad episcopatum non veni, armis bellicis recuperem, quod non est Pastoris, sed invasoris.* Multo igitur magis est invasoris, velle armis, non tam recuperare possessa beneficia, quam obtinere conferenda. Utinam exempla Ivonis relegeret Anonymus; atque utinam non sola ratione, sed oculis etiam aliquando uteretur.

(34) Usurpat deinde nomen, & auctoritatem Abbatis Panormitani, & Francisci Victoriæ. Sed tantum abest, ut Abbas eo loco suffragari videatur Anonymo, ut vehementer obstupuerim, quod locum illum, & illum ipsum numerum 12. indicare voluerit, ac veluti digitum intendere ad legendas eas Abbatis sententias, quibus lætari nullo modo possint detractores Pontificiæ potestatis. Adeat igitur illum Anonymus, & si quidem voluerit, judicem, arbitrumve libenter habebimus testem suum. Post multa pro potestate Papæ supra Imperatorem, & Reges disputata, ait Abbas: *Puto etiam, quod ex legitima posset Imperator indicere bellum contra personam Papæ; non dico contra Ecclesiam; ut si Papa esset hæreticus, & non posset judicari per Ecclesiam; vel schismaticus; vel alias incorrigibilis, & ecclesia nō habeat quid faciat.*

Tradunt hoc etiam illi doctores, qui scripserūt post magna incrementa Pontificiæ auctoritatis, cum omnes ad nomen Romę contremiscerent, quique illius magnitudinem vehementissime propugnarunt. Abbas Panormit. in cap. sicut 29. de jurejur. nu. 12. scribit, ad Imperatoris officium pertinere, ut etiam armis succurrat Ecclesiæ, si illam perturbet Pōtifex hęresi, *hæreticus*, vel schismate, *schismaticus*, vel violando leges divinas, aut canonicas, *incorrigibilis*: *Puto etiā, quod ex causa legitima, & notoria*

ma causa, & notoria possit Imperator indicere bellum contra personam Papæ; non dico contra Ecclesiam: ut si Papa esset hæreticus, & non posset judicari per Ecclesiam; vel schismaticus, vel alias incorrigibilis, & Ecclesia non habeat quid faciat.

Quam longe hæc distent à mente Anonymi patet I. quia docet Abbas, posse ex narratis causis inferri bellum contra personam Papæ, non contra Ecclesiam; loquitur igitur de puniendo scelere personali Papæ; non est autem facinus personale Clementis XI. quod beneficia conferantur extraneis, sed est institutum Romanæ Ecclesiæ; Ecclesiæ igitur arma inferenda essent à Rege Catholico. II. Nō violat, sed tuetur Papa sacras leges, cum ad normam juris communis distribuit bona Ecclesiæ. III. Non est incorrigibilis, qui retinet majorum traditiones, & consuetudines ab Apostolis ad nos perpetua canonum disciplina transmissas. IV. si arma contra Clementis personam tanquam incorrigibilem ferenda sunt, quo judice, quave sententia ille declaratus est incorrigibilis? Alienum est à christianis institutis, ut suos Pastores judicent, qui pascendi

sunt:

ſunt: Unde orat. 17. Nazianzenus: *Judices ne judicate, nec legislatoribus leges præſcribite. . . . Nec obedientiæ lux, quæ tam terrena, quam cœleſtia tuetur, atque conſervat, infringatur.* Ac S. Ioannes Climacus gradu 4. ait: *Cum Tibi cogitatio ſuggeſſerit, ut Prælatum tuum dijudices, aut damnes, loquere ad hujuſmodi ſerpentem, ò ſeductor maligne, non ego ducem meum judicandum ſuſcepi, ſed ille me; non ego illius, ſed ille mei dux eſt.* Et hæc quidem de Prælatis etiam inferioribus. Quid igitur de Principe Paſtorum, & Apoſtolicæ Sedis Antiſtite? de quo ait Ennodius in Apologet. *Sedis iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio. Voluit B. Petri Apoſtoli ſucceſſores cœlo tantum debere innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inviolatam exhibere conſcientiam.*

Primam Sedem à nemine judicari poſſe, late oſtendit Petrus de Marca lib. 1. Concord. cap. 11. cujus epitomen his verbis adornavit Stephanus Baluzius: *Perſona Pontificis à nemine judicatur . . . . eadem Eccleſiæ Gallicanæ ſententia in cauſa Symmachi.* Qua igitur lege Anonymo ſiſtitur Sanctiſſimus Pontifex, cujus judi-

cium terra, cœlumque reveretur; eoque sedente lata ſententia, expeditæ ſecures? *Muta fiant labia doloſa*: Verba ſunt Stephani Papæ ad Baſilium, in calce VIII. Synodi: *quæ loquuntur adverſus Deum iniquitatem, aut adverſus juſtum. Si è grege Dei (quod opto) ovis es, limites Principis Apoſtolorum ne tranſilias. Dic age, quis te ita ſeduxit, ut Oecumenicum Pontificem conviciis, & ſcommatis laceſſeres, Sanctamque Eccleſiam Romanam maledictis lacerares, cui oportet, ut ſumma te cum veneratione ſubjicias? An non intelligis, hanc omnibus Eccleſiis præeſſe? Quis te Pontificum judicem conſtituit, quorum ſacris inſtitutis edoctus es? à quibus ad Deum pro te preces effunduntur? Quomodo judicas eos, qui uni Dei judicio ſunt ſubjecti? qui ſoli poteſtatem acceperunt ligandi, atque ſolvendi? Vide in quod te barathrum præcipitaris*. His Stephani literis Leoni Baſilii filio redditis, Patres Orientales epiſtolam ad eum dederunt, cujus hoc eſt initium, quod Anonymi libello ſubſcribimus: *CATHOLICA DEI, APOSTOLICAQUE ECCLESIA SEMPER DE SUIS OPPUGNATORIBUS TRIUMPHAT*. (35) Fran-

(35) Francisco Victoriæ vis magna inferenda est, ut ad sensum Anonymi flecti possit. Docet enim loco cit. recurrendum ad Principem, & resistendum etiam armis mandatis Papæ, *tendentibus in destructionem Ecclesiæ*; arma sunt igitur vertenda contra eum, qui Ecclesiæ destructionem machinatur, non contra columnam, & firmamentum Ecclesiæ. Rursus in ea ipsa pernicie, & vastitate Ecclesiæ, quam afferrent mandata Pontificis in assumta hypothesi, primum negat, permittendum cuicumque privato, *non parere mandatis Pontificiis, quantumcunque essent contra determinationem Concilii, eo quod esset magna irreverentia, & quasi contemtus summæ auctoritatis*, prop. 21. unde in ipso loco cit. ab Anonymo, episcopis, vel concilio provinciali permittit resistere, ac principes implorare. Deinde quo pacto resistendum sit, ita docet ibid. prop. 22. in coroll. *Semper tamen servato moderamine inculpatæ tutelæ, non excedendo reverentiam, NEC NEGANDO ALIQUO PACTO AUCTORITATEM ILLIUS; sed solum allegando, quod hoc est injustum, & in detrimentum Ecclesiæ*. Loquitur autem Si-

(35) Franciscus Victoria recurrendum esse ad Principem ait, contra conatus Romanæ Curiæ adversantes rationi: *Possent vel episcopi, vel Concilium Provinciale per se resistere tali mandato, vel etiam implorare Principes, ut auctoritate eorum resisterent Summo Pontifici*, Relect. 4. de potest. Papæ prop. 22. Ac rursus vi, & armis ejusmodi mandata posse impediri: *Non solum liceret non parere talibus mandatis, sed etiam facto, & vi, si opus esset, resistere illis, & impedire armis executionem illorum mandatorum; & maxime intercedente publica auctoritate, ut Principis*. Ibid. prop. 19.

quando, facta declaratione, aut edito decreto concilii, Papa contrarium mandaret. Quæ ſunt autem Concilii decreta, quibus mandata Sanctiſſimi Pontificis adverſantur? imo quæ Conciliorum decreta ſunt, quæ Anonymi ſententiam non rejiciant?

(36) Communi Theologorū ſententia, non ſemper leges Romani Pontificis juſtæ ſunt; Nam Card. Madrucius in Concil. Trid. ait; *Quecumque Pontificem in judicāda lege conducibili, vel non conducibili falli poſſe.*

(36) Mittimus ea, quæ converrit, ut Apoſtolicæ Cathedræ contemtum, & invidiam faciat, ejuſque judicium in probandis, aut ferendis legibus conducibilibus ſæpe infirmum, falſumque traducat. Longe enim alia fuit omnium ſeculorum lingua, cum de legibus, judiciis, ſententiiſque Summi Pontificis loquerentur Chriſtiani. *Judicem vice Chriſti* appellavit illum Cyprianus epiſt. 55. *De cujus judicio diſceptare nullus auderet, quod Patrum traditio per canones ſemper, regulaſque ſervavit*, inquit Zoſimus epiſt. 10. *Et cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cœlo*, ait Hilarius cap. 16. in Matth. *Interpretem vocis Petri*, Concilium Chalc. epiſt. ad Leonem. *Linguā cœlorum*, S. Petrus Damian. ſerm. 26. *Legum moderatorem, canonum diſpenſatorem, Chriſti Vicarium, Chriſtum Domini, Deum Pharaonis*,

S. Ber-

S. Bernardus de consid. lib.4.cap.ult. Huc deceret, ut studia sua conferret Anonymus, & Sanctorum Patrum in Romanis judiciis, ac legibus obsequentissime suscipiendis, & commendandis, ardorem æmularetur. *Sed quo pacto honore indiget parvuli hominis Romana Ecclesia, quæ laudes, atque præconia ex ipsius ore sortita est Salvatoris?* S. Petrus Damian. opusc. 5. (37) At quid cõsilii ineundum, inquit, ubi in Romana Curia ita partem Domini tractari contingat, ut Barabbas evadat, & Christus occidatur? Profecto illud ipsum consilium, quod nobis dedere geminæ illæ ecclesiasticæ fortitudinis columnæ Ivo Carnotensis, & Thomas Cantuariensis, quos Romanæ Curiæ objecit Anonymus. Ut nimirum, *siqui aliquando se prægravatos ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant.* Ita Sanctissimus Martyr Thomas, cum se, partim ob corruptos regio auro quorundam romanorum animos, partim ob falsos rumores per totam Angliam dissipatos à Joanne de Oxeneford, à Romana Curia prægravatum quereretur,

(37) Sanctissimus etiam episcopus, & Martyr Thomas Cantuariensis, sẽper in Romana Curia jus conculcari affirmavit in epistola, quam edidit Baronius ad ann. 1170. num. 10. *Nescio quo pacto pars Domini semper tractatur in Curia, ut Barabbas evadat, & Christus occidatur. Auctoritate Curiæ jam in finem sexti anni proscriptio nostra, & ecclesiæ calamitas protracta est.*

non descendit in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa Romana Ecclesia, in qua semper illi patuit perfugium, & portus, levamen expetivit: *Hæc omnia Domino Papæ diligenter insinua, ut remedium aliquod contra hæc mala nobis provideat, sicut petimus*, inquit in epist. 165. lib. 2. ad Joannem Catuariensem suum Romæ Apocrisarium: & in epist. 47. ibid. ad Alexandrum Papam: *Non est, ad quem habemus refugium post Deum, nisi ad te.* Neque vero quid lævum unquam locutus est de potestate, ac dignitate eorum, quorum avaritiam detestabatur; sed eos ipsos appellabat *columnas Ecclesiæ*, epist. 66. lib. 3. epist. vero 45. lib. 2. ad omnes Cardinales, cum expostularet de quorundam socordia: *Qui Christi vicem*, inquit, *gerere debetis in terra.* Noverat enim ex hominum vitio nihil detrahi muneris amplitudini, & sanctitati. Quam in sententiam præclare Joannes Gersonius tom. 1. col. 188. de statu Summi Pontificis, & Cardinalium verba faciens: *Status*, inquit, *prędictus non ideo perdit jura sibi convenientia, si forte fuerint abusus aliqui personales, olim, vel nunc inventi. Alioquin sic argueretur adversus*

om-

omnem statum, nedum ecclesiasticum, sed temporalem, quod dissipandus est, deserendus, & perdendus; quoniam in multis offendimus omnes. Quo autem sensu damnaretur Christus in Curia, & Barabbas dimitteretur ab iis, quos Regis aurū excæcaverat, explicat idem Thomas epist. 33. lib. 2. *Permittunt enim, & præstant auctoritatem persecutoribus Ecclesiæ concutere, spoliare, & deprædari patrimonium Crucifixi.* Qui proinde viderentur *consentire dicentibus: Crucifige, Crucifige Pontificem*, epist. 36. lib. 2. Ille igitur cum Judæis petit dimitti Barabbam, & Christum occidi; qui contra Summum Pontificem ad arma conclamat, ut cedat in laicorum commoda patrimonium Crucifixi.

(38) Superest, ut eos canones huc trāsferamus, quos Anonymus ad ciendum nostri Regis animum recitat in postrema acie argumentorum suorum; ut illis ipsis Rex optimus intelligat, quorsum adhibere debeat vim auctoritatis suæ, contra Apostolicam ne Sedem, quam à Christo tuendam suscepit, an vero contra eos, qui sacrosancta jura Sedis Apostolicæ pessumdare moliuntur: *Principes seculi non-*

(38) His in casibus Principes opē ferre debēt ecclesiæ. Par igitur, æquumq; fuit, ut Rex noster hoc facinus Romanæ Curiæ omnium iniquissimum inhiberet. Principes enim tutelam, & patrociniū canonum pro se gerere debent: *Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant, &c.*

nun-

nunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi, ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit; UT QVI, INTRA ECCLESIAM POSITI, CONTRA FIDEM, ET DISCIPLINAM ECCLESIÆ AGUNT, RIGORE PRINCIPUM CONTERANTUR, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat; & ut venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiat. Cognoscant Principes seculi, Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax, & disciplina Ecclesię per fideles Principes, sive soluatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit. Can. Principes. 23. quæst. 5. & S. Leo M. epist. 125. ad Leonem Augustum: *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem Tibi, non solum ad mundi regimen, sed*

ſed maxime ad eccleſiæ præſidium eſſe collatam; *UT AVSUS NEFARIOS COMPRIMENDO, et quæ ſunt bene ſtatuta defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata reſtituas*. Itaque divino conſilio datum eſt, ut Anonymus ipſe, qui nobis ad diſpellendas calumnias ſuas argumenta miniſtraverat, ſententiam etiam contra ſe ipſum ex ſacris canonibus pronunciaret; atque eſſet, ut Paulus ait, αὐτοκατάκριτος.

(39) Objicit ſibi Anonymus, quæ pro alienigenis proferri ſolent, præſertim ex Innocentio III. *cap. ad decorem. De inſtit.* qui Patriarcham Conſtantinopolitanum reprehendens, quod vellet ſolos Venetos in Conſtantinopolitanis eccleſiis collocare, *Nec attendens*, inquit, *quod in omni gente, quę facit juſtitiam, acceptus eſt Deo; nec Sanctuarium Dei convenit jure hereditario poſſideri*. Hujus vim canonis ut elevet Anonymus, ad canones intelligendos, hiſtoriæ, & politioris literaturæ neceſſitatem graviter exaggerat. Ait, igitur, editam ab Innocentio regulam illam, cum Conſtantinopolitani eſſent ſchiſmatici, ut cognitione illorum temporum conſtare putat; atque

(39) Supereſt, ut Romanorum argumẽtis occurramus. Objiciunt autem potiſſimum decretalem Innocentii III. *cap. ad decorem 5. De inſtit. Sicut noſtris auribus eſt ſuggeſtũ, Conſtantinopolitanus Patriarcha, aliarum nationum clericos ſpernens, Venetos tantũ in Conſtantinopolitanis eccleſiis ſatagit collocare; nec attẽdens, quod in omni gente, quæ facit juſtitiam, acceptus eſt Deo; nec Sanctuariũ Dei cõvenit jure hereditario poſſideri. Quocirca mãdamus, quatenus moneatis eundem, ut viros literatos, & alias idoneos, undecunque originem duxerint, in prædi,*

adeo non posse aliter locum habere in admittendis alienigenis, quam si omnes indigenæ schismatici sint. Numquid igitur nos etiam, inquit, schismatici sumus?

Sed regula per Innocentium tradita universalis est, nec ullis rerum adjunctis definita. Nam quod Sanctuarium Dei non debeat jure hereditario possideri, semper, & ubique obtinet. Ergo si hereditario jure Sanctuarium Dei possidetur ex sententia Innocentii, cum certum genus hominum ad beneficia admittitur, nunquam, & nusquam certo hominum generi addicenda sunt beneficia. Præterea si vim legis metiri liceret ex ea occasione, qua lata est, vix ulla erit lex universalis: nam fere omnes ex particulari aliquo evētu natæ sunt, auctoritatem tamen habent latissime patentem, & universalem. Ita quintus canon Nicænus præcepit, ut hi, qui ab episcopis suis abjiciuntur, ab aliis non recipiantur, per occasionem Arii recepti ab Eusebio Nicomediensi, cum fuisset ab Alexandro communione multatus. Neque tamen excommunicati, contra eum canonem rite excipient cum

Ano-

stis ecclesiis, & maxime in majori, instituere non postponat. Qui autē ejus tēporis historiam noverit, intelligit, nullum inde contra nostram sententiā peti posse argumētum. Nam Cōstantinopoli à Latinis subacta, & Latino Patriarcha cōstituto, alter Constantinopolitanus Patriarcha Nicææ sedebat, cui parebant omnes Græci in schismate obdurati. Quoniā igitur conferri nō poterant beneficia Græcis obstinatis in schismate, nefas esse duxit Innocentius, ut solis Venetis cōferrentur, sed præcepit, ut saltem tribue-

Anonymo, neque recipi ab aliis jure contendent, dicentes, Numquid etiam nos hæreses in Ecclesiam invexinius? Numquid arianæ perfidiæ auctores sumus?

rentur latinis ex omni natione. Numquid igitur etiam nos schismatici sumus, ut propterea debeant exteri nostra beneficia invadere?

Sed quibus paulo ante oculorum usum permiserat Anonymus, nescio, quo pacto oculis captos credere potuerit, cum hæc de penu sua promeret. Nam Græcos Constantinopolitanos, & omnes ejus nationis tunc in schismate obduruisse, cum ab Innocentio scripta est epistola illa decretalis, tam falsum est, quam quod falsissimum. Illa enim data est anno 1206. ut apud Raynald. num. 2. non vero (quanquam, & hoc non magni referat) anno 1212. ut scribit Anonymus; etenim Venetus ille Patriarcha Thomas Maurocenus jam fatis concesserat anno 1211. ut apud eundem num. 24. Tunc autē Græci, qui Constantinopoli, & sub ditione latini Principis erant, ad Romanam communionem redierant; is enim nullum Romanæ Ecclesiæ rebellem in suo imperio patiebatur, ut apud Allatium *lib.* 2. *cap.* 13. schismatis autem principes Nicææ se ad Theodorum Lascarim receperant.

Ab omni igitur historiarum fide abhorret, Græcos illos fuisse schismaticos, ita ut indigenis beneficia conferri non possent. Id nõ ignorabat Anonymus, ac propterea ambigua structura verborum ludificare lectores conatus est; non enim est ausus affirmare, omnes Græcos in schismate perstitisse, sed Græco Patriarchæ in Nicæa urbe sedenti adhæsisse *omnes Græcos*, *qui præfracte in schismate permanserant*; & rursus: *non potuisse beneficia conferri Gręcis*, *qui obstinati perdurabant in schismate*. Sed agamus, quęso, bona fide. Adhæsisse schismatico Patriarchæ eos omnes Græcos, qui obduruerant in schismate, atque adeo non potuisse illis beneficia conferri, non inficior. At obduruisse in eo schismate omnes Græcos, vix utroque lumine captus affirmet, quique monumenta illius temporis nec salutavit.

(40) Præterea decretalis loquitur de latinis Clericis, non qui residerent otiosi in patria sua; sed qui ad ministeriũ græcis ecclesiis exhibendum transirent.

(40) Alteram quoque ad canonem Innocentii adjecit exceptionem, ut Clericos, præsertim Romæ degẽtes, excluderet: Vocatos quidẽ ad Græcas ecclesias Clericos latinos, non qui in sua patria, aut Romæ otiosi sederent, sed qui se ad eas conferrent, eoque pacto è latinis Clericis evade-

derent Clerici Græcarum ecclesiarum. Obliviosissimus mortalium sit, oportet, Anonymus, qui cum intra paucas horas libellum suum continenter commentaretur, & exararet, hic non meminerit, quæ paulo superius definivit; jisdem scilicet Patrum decretis prohibitum esse Clericis extraneis obtinere beneficia, quibus interdictus est transitus Clericorum ad alias ecclesias; ut proinde æque abhorreat à canonica sua disciplina, Clericum adscribi in alienam ecclesiam, ac adrepere Clericum alienigenam ad beneficia. Quo igitur jure permittit, imo præcipit, ut Clerici extranei ad alienas ecclesias transeant, ne videatur licere Clericis alienigenis beneficia obtinere?

(41) Alterum sibi objicit Anonymus ex eo, quod Clerici Romanæ Ecclesiæ, & præsertim Cardinales, sint Clerici totius orbis terrarum. Quam in rem ludibundus insultat cæcis, ut ait, & rudibus incultæ Theologiæ temporibus. Non se putare ait, futurum, ut Romana aula in hoc ævo bonarum artium iis præsidiis sese communiat, quibus in ipsa sequioris ævi barbarie vix se tutam præstare potuit.

(41) Alterum argumentũ est, quod canones excludentes à beneficiis extraneos intelligi nõ possint de Clericis Romanis, & præsertim Cardinalibus, qui *sunt Clerici totius orbis terrarum*. Si autem id verum sit, quo jure damnari potuisset Anastasius Cardinalis in Concilio Romano? Versatus enim fuisset in propria diœcesi, etiam cum degeret Aquilejæ, quippe qui Clericus esset totius orbis terrarum.

Sed

Sed videamus, an ipse Anonymus cum tanta literarum, & doctrinarũ supellectile, & cum nova sua Theologandi methodo; satis intelligat ea, quæ vel rudibus illis seculis grassante barbarie, perspicua fuerunt.

Cardinales esse Clericos Romanæ Ecclesiæ, quæ est Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum, & eorum consilio apud Sanctissimũ Romanum Pontificem Vniversalis Ecclesiæ administrationem niti; ac proinde omnium ecclesiarum administrationem gerere in amplissimo Papæ senatu, negare nemo potest, nisi barbarus, & peregrinus à Tridentina fide. Contra vero, Cardinales esse Clericos omnium ecclesiarum, ad exercenda in illis munera clericalia singularum titulis adscriptos, atque earum episcopis subjectos, quo pacto clerici alii in suis ecclesiis ordinati sunt, nulla barbaries somniavit. Proinde non poterat impune ab Ecclesia Romana abesse invito Pontifice Anastasius Cardinalis, qui titulo S. Marcelli affixus erat, quique in Romano senatu apud Sãctissimum Pontificem gerere curam pro se debebat omnium ecclesiarum. Ea igitur

ipsa

ipsa ratione, quod universali Ecclesiæ sollicitudinem, & consilium impendere deberet, jure damnatus est à Leone IV. eo quod à suo cardine procul ageret. Utrum autem Cardinales à titulis beneficiorum suorum, quæ simplicia dicuntur, discedere possint, ut Ecclesiæ universali apud Summum Pontificem deserviant, vel barbari judicent; nam Anonymum interiores literæ, & exquisitior eruditio rebus obviis, & vulgaribus fortasse minus idoneum fecerunt; itaut diceret, non sufficere præstitum universali Ecclesiæ ministerium, sed iis ecclesiis esse serviendum, unde percipiuntur fructus; cum tamen ipse fateatur, servitium universali Ecclesiæ impensum vix divelli posse à commodis singularum ecclesiarum. Eo igitur sensu Cardinales omnibus ecclesiis allaborant, ut quarumcunque fructibus sustentari mereantur; non ita tamen omnium ecclesiarum Clerici sunt, ut à titulo suo, & cardine Romanæ Ecclesiæ, injussu Pontificis abire possint.

(42) Hanc Romanorũ Clericorum sollicitudinem omnibus ecclesiis intentam agnoscit Bernardus eo ipso loco, ex quo Ano-

(42) Si Clerici, qui Romæ versantur omnibus, atque adeo suis etiam ecclesiis deservirẽt, nõ essent ullo pacto reprehendẽdi, quod ecclesiis suas relinquerent. At Bernardus lib. 4. de cõsid. cap. 4. eos ad ambientium gregẽ rejicit: *Alius pro alio; alius forte & pro se rogat. Pro quo rogaris, sit suspectus; qui ipse rogat pro se IAM IUDICATUS EST. Nec interest per se, an per alium, quis roget. Clericum Curiam frequẽtantem, qui non sit de Curia, AD IDEM noris pertinere ambientium genus.*

Anonymus verba illa deſcripſit ad invidiam Romanæ Curiæ. Agens enim cum Eugenio ſuo, qua cura, & ſtudio illos deligere oporteat: *Veniamus*, inquit, *ad Collaterales, & coadjutores tuos . . . . Non inconſiderate, ut vides, eligendi quique, aut colligendi ſunt in opus miniſterii hujus. Tuum eſt undecunque evocare, & aſciſcere Tibi, exemplo Moyſi, ſenes, non juvenes; ſed ſenes, non tam ætate, quam moribus, quia Tu noſti, quia ſenes populi ſunt. An non eligendi de toto orbe ORBEM JUDICATURI? Sane huic negotio non ſe ingerat rogans. Conſilio, non prece agendum eſt.* Clericos igitur de toto orbe in opus miniſterii à Summo Pontifice evocatos non reprehendit Bernardus, nec damnat Curiam frequentantes, qui de Curia ſunt, hoc eſt, in Curiæ muneribus verſantur; imo eos fatetur totius Eccleſiæ curam gerere, & orbem judicare. Ergo docet Bernardus, ex omnibus diœceſibus poſſe Clericos ſine piaculo Romam commeare, non quidem ambitione ductos (nam nihil eſt, vel ſanctum, ac religioſum, quod gerere ex ambitu liceat) ſed ad miniſterium Eccleſiæ univerſalis vocatos;

pro-

proindeque Clericos Romanos toti orbi, & omnibus diœcesibus deservire. Clericos vero, qui de Curia non sunt, quis Clericos totius orbis appellavit? Quæ isthæc disputandi ratio est: Clerici, qui de Curia non sunt, Curiam frequentantes, ad ambientium genus pertinent; Ergo Romani Clerici non deserviunt Ecclesiæ universali, & omnibus diœcesibus?

(43) Eo preterea negat Anonymus, Clericos Romanos esse Clericos omnium Ecclesiarum, quia nunquam in Cōciliis Generalibus extra Romanū Patriarchatum pro Ecclesia occidentali legati sunt; decuisset autem ipsos præ cæteris obire legationem pro Episcopis occidentalibus, si habiti fuissent ab antiquis Patribus pro Clericis totius orbis terrarum.

Sed Ecclesia occidentalis non alios habuit legatos in Conciliis orientalibus præter legatos Summi Pontificis. Ita in Nicæno Osius Cordubensis, & Vincentius, ac Vitus Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Pontificis legati præsederunt, & primi omnium subscripserunt, nec alii ab occidentali Ecclesia legati sunt. In Ephesino Archadius, & Projectus Episcopi, ac Phi-

(43) Luculentior est autem factorū doctrina, quā verborum. Ad concilia generalia extra Romanum Patriarchatum, Romanus Pontifex Clericum quempiā suo nomine legabat; episcopi etiam occidētales aliquot ex suo numero, qui sententiam exponeret ecclesiæ occidentalis, mittebāt. Cur autē has partes nunquam Romanis Cle-

ricis datas legimus, qui eas præ cæteris, si Clerici omniū ecclesiarum essent, decentius obiissent? Quid igitur? nisi ut dicamus, nunquam hunc verborū ludum, quo Clerici omniū ecclesiarum dicuntur Clerici Romani, antiquis nostris Patribus subjisse.

lippus Romanus Presbyter, Cœlestini vices suppleverunt, iidemque fuerunt occidentalis Synodi, & Ecclesiæ legati; ut ex relatione Concilii ad Imperatorem post Act. 3. *Misit has literas per Archadium, & Projectum Sanctissimos Episcopos, & Philippum religiosissimum Presbyterum Magnæ Romæ, qui Cœlestini Sanctissimi, Deoque dilectissimi Episcopi præsentiam supplent. Quia vero viri isti, qui venerunt, totius occidentalis Sanctæ Synodi sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, sensumque de fide, & pietate nobis consonum declararunt, & eadem, quæ nos, decreverunt, &c.* Ita quoque in Chalcedonensi Papæ Leonis legati fuere Paschasinus, & Lucentius Episcopi, & Bonifacius Presbyter Romanæ Ecclesiæ, præter quos nullos legimus occidentis legatos. Habet igitur Anonymus passim legatos pro occidentali Ecclesia Clericos Romanos. An vero de singulis, & particularibus occidentis Ecclesiis urget argumentum? At hæ quidem nunquam legarunt suo nomine Clericos Romanos, quia non sunt constituti in cardine singularum ecclesiarum. Imo hoc ipso non decebat, ut parti-

cu-

cularium eccleſiarum vices ſuſtinerent Clerici Romani, quia omnibus eccleſiis in commune conſulere deberent. Et ſane imminuta potius videretur amplitudo, & univerſitas Romanorum Clericorum, ſi pro uno aliquo particulari epiſcopo interfuiſſent conciliis.

(44) Alia ratione urget Anonymus Romanos Clericos, petita à conditione Eccleſiæ, & Epiſcopi, cujus ſunt Clerici. Si enim jure dici poſſent Clerici totius orbis, etiam Romanus Epiſcopus appellandus eſſet Epiſcopus univerſalis; id autem blaſphemiæ loco habet, fretus auctoritate Gregorii M. Ipſe Anonymus viderit, qua ſpe fiduciaque congredi voluerit tam iniquo loco, atque huc referre ſummam totius cauſæ, ut beneficia exteris rite conferantur, & præſertim Romanis Clericis, ſi Romanus Pontifex merito nuncupatur Epiſcopus univerſalis. Profecto eas in anguſtias ſciens prudenſque, ſe conjecit, ut nunquam ab adverſariis in majores redigi potuiſſet; adeo ut, abſque loquendi acerbitate fuiſſet, dubitari non immeritò potuerit, an fortaſſe compoſito cauſam Romanæ Curiæ agere voluerit, inducta

(44) Præterea cum eadem ſit Clericorum, & Epiſcoporum conditio, quæ eſt ſuæ eccleſiæ, ſi Clerici Romani eſſet Clerici omniū eccleſiarum, etiam epiſcopus omnium eccleſiarum Romanus Pōtifex eſſe deberet; quod falſiſſimum oſtēdit antiquitas, imo horrenda blaſphemia eſt, ſi fides habeatur Gregorio M. qui Ioannem Iejunatorem epiſcopum Conſtantinopolitanum gravi-

 ad-

adverſarii perſona; ita nimirum ſola illa argumenta verſat, & εὐκαίρως ἀκαίρως ingerit, quibus nulla ſibi metuere poſſet infeſtiora.

Jam vero titulus Epiſcopi Univerſalis quo ſenſu repudiatur à Gregorio, nihil officit Romanis Clericis, quo minus recte dicantur pro officio ſui Clericatus tranſigere negotia totius orbis; quo vero ſenſu ab omni eccleſia uſurpatur, Anonymi ſententiam proruit. Nam quod Romanus Epiſcopus, ſicut Romanæ Eccleſiæ, ita etiam aliarum ſit Epiſcopus Cardinalis, & Titularis; atque eo jure cunctas eccleſias adminiſtret, quo plerique Pontifices regendas retinuerunt quaſdam eccleſias, etiam poſtquam ad Pontificale faſtigium evecti ſunt, ut Leo IX. Tullenſem, Alexander II. Lucenſem, & Neapolitanam aliquamdiu Paulus IV. & nuper Innocentius XII. nunquam nobis ſine laude memorandus; in quibus eccleſiis non alium Epiſcopum ſuffecerunt, ſed ſolos Vicarios; hoc, inquā, ſenſu, Papam eſſe univerſalem Epiſcopum, negat Cardinalis Cuſanus, negat Gregorius, negant Pontifices, negat Eccle-

ter objurgavit, quod ſe universalem epiſcopū vocaret; eumque titulū ſibi delatum reſpuit ad Eulogium Alexādrinum lib.7.ind.1.ep.30....... *Sed abſit à cordibus chriſtianorum nomen iſtud blaſphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno ſibi dementer arrogatur, &c.*

clesia; id enim *sine aliorum imminutione* fieri non posset. Neque ad alium sensum spectant verba Gregorij: *Si enim universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum.* Esto igitur eadem conditio Clericorum Romanorum: neque ipsi dicantur Clerici universales omnium ecclesiarum eo jure, quo Clerici singulis ecclesiis mancipati, & , ut Gregorius loquitur, incardinati.

Quo autem sensu universalis Episcopus ab Ecclesia dicatur Papa, audiat Anonymus ab Ecclesia ipsa Gallicana, quã crebris sermonibus advocare non dubitat in patrocinium suum, de cujus fide testimonium perhibet eximius, non Curiæ, sed Sorbonæ Theologus Natalis Alexander, qui dissert. 4. in hist. Eccl. seculi XV. & XVI. in proleg. num. 1. *Gallicana Ecclesia,* inquit, *& quotquot in Galliis sunt Academiæ, dogma fidei esse censent, quod Romanus Episcopus unus sit jure Divino Summus in Ecclesia Pontifex, cui omnes Christiani parere tenentur; & qui immediate à Christo non honoris solum, aut dignitatis, sed & potestatis, & jurisdictionis Primatum habeat.*

beat. Ad universalis etiam Ecclesiæ disciplinam pertinere profitentur, ut majores Ecclesiæ causæ ad Sedem Apostolicam referantur; ut in fidei, ac dubiæ disciplinæ causis consulatur illud Christianæ religionis oraculum; Ut ad honorandam S. Petri memoriam Appellationes ex toto orbe Christiano ad Romanum Pontificem fieri possint; secundum canones; ut ipsos canones temperare possit, eorum executionem in omnibus Ecclesiis urgere, promovere; eorumque infractores, cujuscunque sint ordinis, & dignitatis, pœnis canonicis coërcere; ut casus sibi reservare, Indulgentias concedere, leges ad Ecclesiæ ædificationem condere valeat.

Petrus de Marca, cui longe magis Anonymus in libello suo addictus est, quam ille fuerit juribus Apostolicę Sedis; quique nullius gratiæ, aut adulationis suspectus esse potest, ut idem ipse loquitur, dum usurpat pro Romana Sede testimonium Patrum Africanorum lib. 1. cap. 2. num. 4. cum eandem fidem Gallicanam multis testibus confirmasset, num. 7. ejusdem cap. ita concludit: *Sane duplici nomine ad retinendam cum Ecclesia Romana*

na communionem Galli obligantur, quia in Romana Sede, tum Universalis Ecclesiæ Caput, tum Occidentalis Ecclesiæ Patriarchatum suspiciunt. Constat enim illos eque, ac Concilium Aquilejense (cui præerat Ambrosius) totius orbis Romani Caput Romanam Ecclesiam agnoscere, unde in omnes veneranda communionis jura dimanant. Adeo ut à Concilii Chalcedonensis societate alienos se esse putarent, nisi juxta sexcentorum illorum Patrum sententiam, non solũ SINGULARUM ECCLESIARUM, sed etiam VNIVERSALIS ECCLESIÆ CAPVT Romanum Pontificem profiterentur.

Consonat in hac confessione omnis Ecclesia, quæ Privilegium, ac Primatum Romanæ Sedis à Christo concessum, atque fundatum semper agnovit. Hinc Petrus Damianus opusculo 5. exorto murmure in populo Mediolanensi, *Non debere Ambrosianam Ecclesiam Romanis legibus subjacere, nullumque judicandi, vel disponendi jus Romano Pontifici in illa Sede competere*, his verbis turbas sedavit, & repressit voces, quas Anonymus renovavit, atque regessit: *Non ergo quælibet ter-*

rena sententia, sed illud verbum, quo constructum est cœlum, & terra; per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam. Illius certe Privilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Vnde non dubium, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ jus suum detrahit, injustitiam facit; qui autem Romanæ Ecclesiæ Privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum, auferre conatur, hic procuIdubio in hæresim labitur; & cum ille notetur injustus, hic est dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ Mater est fidei; & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur.

Contra hoc fidei dogma de Primatu Summi Pontificis multifariam peccat Anonymus I. cum universalem curam omnium Ecclesiarum, quam gerere debet Summus Pontifex, revocat ad amplitudinem, non jurisdictionis, sed charitatis. II. Cum negat eam ad officium Summi Pontificis pertinere. III. Cum exæquat auctoritatem Romani Pontificis in alias Ecclesias cum Episcopo Lavellensi, imo cum quolibet etiam laico, cum lege chari-

ritatis unicuique mandatum sit de proximo suo. IV. Cum nulla seu divina, seu Canonica constitutione permissam esse curam rerum nostrarũ Romanæ Ecclesiæ affirmat. V. Cum amplissimam Pontificis jurisdictionem appellat vulgato nomine *Usurpationem*, ita ut ejus consuetudinem, & usum, tanquam propriam turpitudinem allegare non possit Romana Curia. VI. Cum pro debita Romanæ Sedi reverentia, valere illam, suasque secum res habere jubet, si aliter non possit nostris se rebus immiscere, nisi nostra beneficia capiendo. VII. Cum mauult, iis legibus nos vivere, quibus vixisse ait, tot secula, antequam Romana Ecclesia hanc novã sibi curam assumeret. VIII. Cũ contra Pontificiæ jurisdictionis antiquitatem illud ex Evangelio usurpat, quod Novatores pro tessera adhibere consueverunt: *Ab initio autem non fuit sic.*

Certe sic fuit ab initio I. ut Romanus Pontifex particulares Ecclesias, earũque Episcopos à regula fidei, vel disciplinæ deficientes coërceret; quam potestatem Victor I. in Asiaticas Ecclesias exercuit, ut narrat Eusebius *lib.* 5. *hi-*

 stor.

stor. cap. 24. Neque unquam Irenæus, & Catholici illi, quibus asperior visa est sententia Victoris, defectum potestatis, & jurisdictionis objecerunt. Eadem auctoritate coactus est Dionysius Alexandrinus apud Dionysium Papam fidei suæ rationem reddere. II. ut ad se delatas ex singulis Ecclesiis fidei, & morum controversias suo jure dirimeret. Eapropter Irenæus ab Episcopis Galliæ Romam missus est, teste Hieronymo, & Polycarpus Apostolis proximus, imo Joannis discipulus ad Anicetum contendit, teste Eusebio *lib.* 1. *cap.* 14. III. ut ab omnibus Ecclesiis appellationes exciperet. Quo jure restituti sunt à Julio I. Athanasius, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, & alii ante Synodum Sardicensem, cujus canoni appellationes hujusmodi occasionem præbuerunt confirmandi summam illam Pontificis jurisdictionem; *quam cuncta per mundum novit Ecclesia*, inquit Gelasius epist. 13. *quoniam quorumlibet ligata sententiis Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, ut pote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi*. Hunc eundem totius Ecclesiæ sensum ex-

pres-

pressit S. Irenæus lib. 3. cap. 3. cùm ait: *Ad Romanum Ecclesiam propter principaliorem potestatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Non charitatis amplitudinem, sed *potestatem* agnovit Sanctissimus Martyr; neque æqualem episcopis minimarum Sedium, sed cunctis *principaliorem*; non precario quæsitam, sed *necesse*; neque occidentales solum, sed *omnem ecclesiam*. Ab initio igitur, & tribus illis, ut ait Anonymus, beatis seculis, curam habuit omnium ecclesiarum Summus Pontifex jure suo; neque unquam viximus à paterna illa Apostolicæ Sedis sollicitudine avulsi.

(45) Universalem etiam Pontificii Primatus jurisdictionem explicat, & confirmat titulus Episcopi *Catholicæ Ecclesiæ*. Catholica enim Ecclesia, non pro particulari aliqua hic accipitur, quæ ad Catholicam pertineat, veluti cum Constantinus Imperator ad Africæ Proconsulem, Carthaginensem Ecclesiam appellat, *Ecclesiam Catholicam, cui Cæcilianus præest*; sed pro ea, *quæ sub se contineat universas*; ut loquitur Innocentius III. in disputatione cum Joanne Patriarcha Cōstantinopolitano. Aliter igitur particula-

(45) Titulus autē, quo Papa dicitur *Catholicæ Ecclesiæ Episcopus*, etiam Episcopis parvarum ecclesiarum communis est, nec aliud significat, quam quod sit unus aliquis Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, sive universalis, in qua unus episcopatus à multis episcopis geritur: *Etsi multi pastores sumus, unum tamen gregem pascimus*, inquit Cyprianus epist. 66.

res, aliter Romana Ecclesia *Catholica* nuncupatur. In illis enim definitur; in hac nec episcopatus, nec ecclesia ullis finibus circumscribitur. Quod etiam expresserunt Pontifices, cum se absolute *Episcopos* inscripserunt; quam nominis vim agnovit Marcus Antonius de Dominis; licet perperam negaverit antiquitatem. Ita certe Liberius epistolas inscribebat: *Liberius Episcopus*. Titulus igitur *Episcopi universalis*, quo amplitudo jurisdictionis, & Primatus Romani Pontificis explicatur, non modo nullam blasphemiam, sed fidei dogma continet; eoque merito salutati sunt Leo in Chalcedonensi, Agatho in sexta Synodo, Adrianus II. in octava, & ipse ab Eulogio Gregorius; qui non potestatem eo expressam, sed verbi fastum aversatus est.

Porro in designandis beatorum seculorum finibus parciorem se nobis præbet Anonymus, quam fuerint hæretici ipsi. Nam Adamus Scherzerus in Anti-Bell. disp. 4. agnoscit incorruptam Romanam Ecclesiam usque ad ætatem Nazianzeni. Eodem recidit sensus Heideggeri lib. 3. de Sacram. cap. 1. qui fatetur, usque

ad

ad ætatem Ambrosii Romanam Ecclesiam fuisse typum Ecclesiæ christianæ, hoc est, usque ad seculum quintum. Bullingerus adversus Brentium part. 1. lib. 7. affirmat, sanctam fuisse, & orthodoxam Christi ab ipsis Apostolorum temporibus Ecclesiam *per integra secula sex, & multo plura*. Immerito igitur Anonymus beatitudinem, hoc est, integritatem Ecclesiasticæ disciplinæ intra angustos trium seculorum limites cōtulit; ut proinde exempla Pontificiæ jurisdictionis, & Primatus, ultra illos fines edita, videantur ableganda ad usurpationem, & tyrannidem, non sine turpitudinis nota, ut loquitur, commemorandam. Hæreticos igitur habemus in Romanam Ecclesiam indulgentiores, quam sit hac in re Anonymus.

(46) Schismaticos etiam, & eorum antesignanos longe superat libellus Anonymi. Nam Græci infandi schismatis pertinaces, eo progressi sunt, ut affirmarent, Papam cæteris Patriarchis æqualem habere potestatem; neque vero in ea minuenda ulterius processerunt. Unde cum retulisset Christianus Lupus in

(46) Sed quoniam sub insueto vocabulo sensus minime pravus contineri potest, titulus Episcopi universalis nō est tanta asperitate reprehēdendus, ut fit ab hostibus romani nominis. Sensus autem minime pravus erit, si eo titulo non dicatur Episcopus omnium particularium ecclesiarū, sed tantū Episcopus, qui amplitudine suæ charitatis excubet pro salute totius Ecclesiæ universalis, quod est necessarium officiū cujuscunque Episcopi, & præcipue primarum Sedium. Si vero Papa omniū eccle-

dict. 20. Gregorii VII. in Romana Synodo, quosdam ex Græcis affirmãtes, *omnes Episcopos, præsertim Metropolitas, esse ex divino jure æquales*, addidit: *Quod figmentum etiam cuncti schismaticorum meliores detestantur.* At longe ulterius prolapsus est Anonymus, qui jurisdictionem Summi Pontificis æqualem fecit potestati Episcopi Lavellensis; & sollicitudinem, qua salutem, & disciplinam aliarũ ecclesiarum promovere debet, coæquavit charitati quorumlibet laicorum: Qui curam Neapolitanarum Ecclesiarum negavit pertinere ad officium Summi Pontificis; quo illi non solum ademit Primatum totius Ecclesiæ, sed etiam jura Metropolitica, & Patriarchalia per totam Italiam, & Occidentem. Quæ quidem ipsi Græcorum schismaticorum signiferi conati sunt, vindicare Romano Pontifici, ut contentus finibus illis, æquo jure cum reliquis Patriarchis uteretur, ut Zonaras, & Theodorus Balsamon ad can. 6. Nicænum.

Ergo Anonymus, ut ab hæretica, & schismatica labe se purget, fateri debet, Romanum Pontificem Neapolitanæ Ec-

Iterum Episcopus, & Clerici Romani omnium ecclesiarum Clerici dicantur eo, quod Ecclesiæ universali, & omnibus particularibus deserviant, falsũ est, si hoc ad proprium Papæ, & Romanorum Clericorum officiũ pertinere quis putet. Si autẽ eo sensus pertineat, ut Romanus Pontifex, ejusque Clerici, salutem omnium ecclesiarum pro virili curare debeant, hoc ad omnes spectat ecclesias, imo ad singulos christianos, quoniam *mandavit illis unicuique de proximo suo, eccle. 17. 12.* Itaque eo jure Romani no-

eleſiæ negotiis curam ſuam impendere debere ex injuncto ſibi munere, tum Metropolitico, & Patriarchali, quo Italiam cum adjacentibus inſulis, totumque occidentem orbem adminiſtrat, tum etiam Papali, quo reliquos etiam Patriarchas paſcit, & confirmat. Ac propterea Cardinales, jure ſui epiſcopi, ut ipſe diſputat, & conditione ſuæ eccleſiæ, curam, & operam collocant pro eccleſiis totius orbis, præſertim vero occidentalibus, & Neapolitanis; & pro ſui clericatus officio invigilant gregibus omnium epiſcoporum, pro cunctis eccleſiis militant, colendiſque earum vineis laborant; ut proinde illarum fructu, lacte, ac ſtipendiis alendi ſint, argumento Pauli 1. ad Corinth. cap. 9.

Et quidem ſive divino, ſive humano jure, ſive ab initio, ſive à quarto ſeculo, Romana Eccleſia dicatur intendere cauſis, & diſciplinæ Neapolitanæ; ſive præſcriptione, ſive canonum auctoritate eam juriſdictionem in Eccleſias particulares adepta ſit, ſi illa tamen agnoſcitur legitima, & jam longo ſeculorũ curriculo à Sanctiſſimis Pontificibus iure exercita; legitimo etiam

ſtra beneficia obtinere potuerũt, quo Gallica beneficia Clerici Lavellenſes.

etiam jure Cardinales dicentur Clerici, totius orbis. Ac propterea exploratum est ex his, quæ habet Anonymus, beneficia extranea Romanis Clericis rite conferri posse, si Romani hactenus Pontifices non fuerunt Tyranni, qui potestatem nullo jure sibi delatam invaserint.

Immerito igitur in vindiciis opuscu-li sui queritur Anonymus, Pontificiæ se majestatis postulari, cum de ea non catholice modo sentiat, sed ita fuerit passim locutus, ut ipsi romanæ magnitudinis studiosissimi scriptores. Sed romanæ magnitudinis studiosum, qui æquata jura inter Romanam, & Lavellensem Ecclesiam, nec non arreptam ab illa, & occupatam, nulla Dei, vel canonum auctoritate, jurisdictionem in alias ecclesias, affirmaverit, inveniet profecto neminem. Quid autem, quod vis veritatis voces interdum ab eo Apostolica Sede non indignas expresserit? Nunquid hæreticos, & schismaticos, quos sensimus Anonymo sæpe mitiores, studiosissimos romanæ magnitudinis habebimus? Aut nunquam desipuit, qui non semper deliravit?

Πολλάκι τοι καὶ μωρὸς ἀνὴρ κατακαίριον εἶπε.

(47) Jam

(47) Jam olim Lutherani, cæteriq; Novatores, ad abolendas Romanas appellationes, eos SS. Patrum locos excerpserant, ex quibus Anonymus consuit appendicem disputationis suæ, hoc est, supremum improvidæ loquacitatis corollarium. Cyprianum ipse, Siricium, & Xystum III. ex omnibus selegit, ex quorum testimoniis liquida Romani Primatus jura eliciemus.

Quod attinet ad Cyprianum, constat, cautum fuisse antiqua Africanæ Ecclesiæ consuetudine, & lege, ne Clerici ad transmarina judicia, seu ad Apostolicam Sedem appellarent, quæ lex his postea verbis concepta est Canone 22. Milevitano: *Placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant, & inter eos, quidquid est, definiant, adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communio-*

(47) Enimvero Cyprianus epist. 45. ad Cornelium Papam, cum illum laudaret, quod Presbyteros in Africa ejectos non recepisset, illos nec debuisse ait, nec potuisse à Cornelio recipi, eo quod unusquisque Episcopus curam diœcesis suæ gerere debeat, neque se aliarum rebus immiscere: *Cũ statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum; & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque, & gubernet, rationem*

sui actus Domino redditurus; oportet utique, eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere.

nionem suscipiatur. Hoc statutum memorat Cyprianus loco cit. *Cum statutum sit omnibus nobis*. Quo loco ostendit I. Cyprianus illud esse proprium Africanæ Ecclesiæ: *Omnibus nobis*. II. Frequentissimas, & sine more fuisse inferiorum Clericorum appellationes primis temporibus Africanæ Ecclesiæ, qui consueverant circumcursare, & trans mare provocare ad eludendas suorum Episcoporum sententias; nimirum necesse fuit, ut exundans illa appellationum consuetudo objectis aggeribus coërceretur. III. Solis inferioribus Clericis, hoc est, sub Episcopo constitutis, atque ad portionem gregis singulis Pastoribus attributam pertinentibus, non vero ipsis Pastoribus, esse interdictas Romanas appellationes Africano statuto, & cõsuetudine; cui tamen in manus Gregorii M. cesserunt jam olim Episcopi Africani, ut refert Lupus ad can. 14. Sardicensem; ut proinde jam ab undecim seculis etiam Clericorum inferiorum appellationes hoc jure legitimæ sint. IV. Non defuisse Romano Pontifici jurisdictionem, sed consultum oportere dolis, & offuciis eorum, qui illi obrepere, & judicia suorum

Epi-

Episcoporum subvertere moliebantur. *Oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere.* Si nulla potestate legitima potuisset Papa retractare Africana judicia, quid profuisset subdola temeritas Clericis ejectis, damnatisque? aut quid per totam Africam Clerici effugium ad Romanam Sedem sibi patere credidissent? V. Africanum statutum non necessitati, sed æquitati esse subnixum, ac spectare ad modum potius exercendi judicii in loco delicti: *Æquum sit pariter, ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum.* Nisi malimus intelligere Cyprianum agentem de prima criminalis judicii instantia, secundum eundem Lupum ad dictatum 16. Gregorii VII. in Concilio Romano. VI. Non pulsari jus appellationis ratione proposita verbis illis: *Singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.* Nam certe ea verba non excludunt jurisdictionem Primatis, ad quem ex statuto, & Canone Milevitano poterant Clerici

(48) Idem docet Siricius, qui rogatus, ut causā cujusdam Episcopi nomine Bonosi, judicaret, ita respondit, epist. inter Ambrosianas 71. *Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia, nostrā sententiam sciscitari voluistis. Sed cum ejusmodi fuerit Cōcilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & precipue Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis cognoscerent; advertimus, quod nobis judicandi forma competere non posset.*

provocare, & cui proinde rationem reddere unusquisque episcopus debebat; ergo non negat Cyprianus jurisdictionem Romani Pontificis in Africanas Ecclesias, cum ait, Episcopum Domino redditurum actus sui rationem; præsertim cum Africanæ Ecclesiæ non solum ad Primatum, ut reliquæ omnes, sed etiam ad Patriarchatum Romanum pertinerent.

(48) Siricius, cujus nomine edita est ab Holstenio epistola ad Illyricianos, quæ ab aliis tribuitur Damaso, causam Bonosi Naissitani in Dacia Episcopi, quam Concilium Capuanum delegaverat Anycio Thessalonicensi, ejusque Coëpiscopis cognoscendam, ab iisdem ad se delatam repudiavit, quod non putaret esse retractandum sine gravi causa judicium Capuensis Concilii. Unde Launoio, ex quo hæc promit Anonymus, suboluerit defectus jurisdictionis in his Siricii verbis, ignoramus. Nam I. Illyriciani ad Siricium deferentes causam Bonosi, eam jurisdictionem agnoscebant. II. Nemo fuerit adeo demens, ut putet Siricium, aut quemvis alium Romanum Pontificem, saltem post Synodum Sardicensem; si ita placet

Ano-

Anonymo, affirmasse, Episcoporum causas ad se deferri non posse; ac Siricium tam demisse de suo Primatu sentire, cum tamen ipsum nominatim Optatus Milevitanus suo tempore sedentem appellaverit, fontem unitatis, qua totus orbis *in una communionis societate concordat*. III. Si responsum Siricii sensum Anonymi redderet, non solum Siricius Primatum Romanæ Sedis, sed etiam jus metropoliticum abnegasset in Illyricianas Ecclesias, quo solo rite potuisset de Bonosi crimine cognoscere. Siquidem Theodorus Balsamon dux Græcanici schismatis, eam metropoliticam jurisdictionem viguisse testatur, tempore Concilii Nicæni: *Romanæ autem Ecclesiæ ditioni eo tempore omnes fere occidentis Ecclesiæ subjiciebantur, Macedoniæ nimirum, Thessaliæ, Illyrici, Peloponnesi, & ejus, quæ Epirus dicitur; ut proinde ad illum provocationes ex his locis referre sit consentaneum*. Porro Siricium agnovisse metropolitica jura sua, constat ex Innocentio I. Siricii successore, qui in epist. ad Anycium Thessalonicensem testatur, Anycium ipsum fuisse à Siricio cõstitutum Vicarium Sedis Apostolicæ per Illy-

Illyricum, quod Achajam, & Macedoniam tunc complectebatur. Nunquam igitur credidit Siricius, deesse sibi jurisdictionem judicandi de Bonoso. IV. ut cum Launoio propius agamus, judicium Synodi Capuensis nihil prorsus derogavit Pontificiæ jurisdictioni, imo videtur ipse Siricius causam Bonosi delegasse in Synodo. Quid enim in Synodo illa posset Siricius, hæc verba ejus ostendunt: *Si integra esset hodie Synodus, recte de iis, quæ comprehendit scriptorum vestrorum series, decerneremus*. In Synodo igitur Siricius decernebat. V. Tantum abest, ut Siricius repudians causam Bonosi derogaverit suæ auctoritati, ut potius ipse fateatur in eadem epist. derogatum iri suæ auctoritati, si causa jam à Concilio delegata, ipse decerneret; videri enim potuisset, auctoritatem judicandi à Synodo accepisse: *Vos enim totius Synodi vice decernitis; Nos, quasi ex auctoritate Synodi, judicare non convenit*. VI. Decretales Siricii epistolæ liquidum faciunt, quantus ille fuerit in exercendo primatu Sedis suæ. In ea enim, quæ ad Himerium Tarraconensem data est, hæc scribit: *Pro officii nostri considera-*

tione, non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus major cunctis christianæ religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium, qui gravantur. Et rursus cap. 15. *Explicavimus, ut arbitror, Frater Charissime, universa, quæ digesta sunt in querelam, & ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum Presbyterum ad Romanam Ecclesiam, utpote ad Caput tui corporis, retulisti.* Quod si Damaso, qui Siricio præcessit, tribuatur ea epistola ad Illyricianos, non ille minus jura sua usurpavit; nam in epist. 4. ad Episcopos Numidiæ: *Cuncta,* inquit, *quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad Nos, tanquam ad Caput, UT SEMPER FUIT CONSUETUDO, deferre non desinatis.*

(49) Nihil morandum in explicandis verbis Xysti III. Nam cum decernat custodiri judicium Procli, aperte indicat, qua polleat auctoritate, & jurisdictione. Quod vero nolit injuriã facere cognitioni illius, confirmat ejus judicium fuisse justissimum, quod proinde non esset retractandum. Neque enim necesse est, ut Papa omnium Episcoporum sententias ad

(49) His accedit Xystus, qui Proclo Constantinopolitano testatur, nolle se eas causas attingere, quæ ad illius jurisdictionem pertinerent: *Habes recentissimum nuper habitæ actionis exemplum fratris nostri Iduæ, circa quam tuæ fraternitatis decrevimus judicium custodiri, cognitioni tuæ facere nolētes injuriam.*

ad ſe perlatas reſcindat, ut Primatum tenere intelligatur.

(50) Facta quoque antiquitatis oſtendunt, tribus illis beatis ſeculis nunquã RomanamCuriam alienis negotiis operã adjeciſſe. Marcioni excommunicato à Patre Epiſcopo, cum à Romana Eccleſia communionẽ peteret, reſpõſum eſt, non poſſe per RomanamCuriã, quod geſtum eſſet à Patre, retractari. Fortunatum, & Feliciſſimũ in Africa damnatos ita excepit Cornelius ut ex epiſt. Cypriani didicimus.

(50) In animo jam habueram afferre inter antiqua appellationis exempla Marcionem, & Fortunatum, ac Feliciſſimum, à ſuis Eccleſiis ejectos, opem Romani judicii implorantes; ſed eoſdem ipſe obtulit Anonymus, ſuetus ingratiis ſuis ſervire veritati. Certe pervaſerat Orientis Eccleſias ſententia de jure Romanarum appellationum, cum Marcion medio ſeculo II. à Patre excommunicatus Romam contendit, communionem ab Eccleſiarum Matre exoraturus. Niſi enim id illis penitus inſediſſet, cur Romam longum iter inirent? aut cur Romanum potius, quam Nolanum, aut Puteolanum Epiſcopum appellarent? Reſponſum autem tulit Marcion, teſte Epiphanio, non poſſe illi Romanam Eccleſiam injuſſu Patris ſui cõmunionem dare. Vacabat enim tum per obitum Hygini Romana Sedes; ait enim Epiphanius: *Romam poſt Hygini Papæ obitum ſe contulit.* Clerus autẽ Romanus *ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum* ſcripſit epiſt. 31. inter epiſt. Cypriani. At ab Hygini ſucceſſore Eleutherio obtinuit

com-

communionem Marcion pœnitentiam pollicitus, ut ex Tertulliano *cap.* 30. *de præscript.* Marcionis igitur appellatio illustre monumentum est Apostolici Primatus, & antiquarum appellationum.

Nihilo minus luculentum est factum Fortunati, & Felicissimi, qui à Cypriano damnati, Romam cum mendaciorum suorum merce navigaverunt, inquit Cyprianus epist. 55. quos tamen à Cornelio de Ecclesia pulsos esse gratulatur. Duo potissimum fuere, quæ Sanctissimum Episcopum Cyprianum impulerunt, ut damnaret illam pervicacium Clericorum appellationem: Primum, quod indignum duceret, homines ob plurima, & gravissima crimina abstentos, ut ipse ait, spe Romanæ communionis sese lactare, nec morari, quin Romanum Clerum, & Pontificem circumvenirent: *Post ista*, inquit, *adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & profanis literas ferre; nec cogitare eos esse Romanos (quo-*

rum fides Apostolo prædicante laudata est) *ad quos perfidia habere non possit accessum.* Alterum, quod cum Fortunatus pseudo-episcopus esset, trans mare appellasset cõtra statutum Africanum, quo solis Episcopis appellationes transmarinæ erant permissæ, non vero cæteris Presbyteris, & Clericis; unde ait: *oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare*; illum videlicet adhuc sibi subjectum affirmans, adeoque Presbyterum suum, non vero Episcopum. Dolebat igitur, eum pro Episcopo haberi velle, cum ad Romana judicia Episcoporum more provocaret. Tanta nimirum per tria illa beata secula Ecclesiæ principalis potestas erat.

(51) Quarto primũ seculo animũ induxit Osius, ut novum honorẽ Sedi Petri tribueret, ac statueret, ut si Episcopus damnatus Põtificem appellaret, & hic dignum putaret nova cognitione judiciũ, posset, non quidem ipse cognoscere, sed ipsis illis provincialibus Episcopis cau-

(51) Quare inter putida mẽdacia rejicimus, quæcumque de Sardicensi canone pronunciat. I. Opera Osii novum illum honorem appellationum fuisse Romano Pontifici tributum, & quidem his finibus circumscriptum, ut provocante episcopo; non quidem retractaret judicium Papa, sed decerneret, si visum fuisset, oportere ex integro institui judicium ab iisdem Episcopis, quibuscum interesse liceret alium judicem ab eo legatum. II. De so-

lis

lis Episcopis tributam facultatem illam, non vero de Presbyteris, aliisque causis. III. Orientis Ecclesias semper illi canoni obstitisse. IV. Ecclesias occidentales diu obstrepuisse, & inter Patres Africanos, ac Romanos Pontifices vehemẽs certamen, nec sine turbis, exarsisse seculo quinto. Quam errorum struem paucis dispergere instituo.

Norunt omnes quotquot Ecclesiasticas literas lustraverunt, Sardicensi canone repressam fuisse Arianam Eusebianorum factionem. Eusebianos autem arietasse jura Summi Pontificis iis ipsis calumniis, quas congerit Anonymus, cõstat ex Sozomeno *lib.* 3. *hist. Eccl. cap.* 7. Nam acerbissime questi sunt, rescissam à Julio I. sententiam, quam ipsi contra Athanasium, & alios in Tyria, & Antiochena Synodo pronunciaverant; idque traducebant, *Tanquam factum iniquum, & à lege Ecclesiastica alienum, quod inconcussam habeat auctoritatem quælibet Synodus; & contumeliose agatur cum judice, cujus judicium ab aliis examinatur*. Ex epist. 4. Julii. Hunc eundem criminabantur, *quod quæreret Ecclesiæ principatum, quasi aliquod*

sam retractandam delegare, ita tamen, ut unum aliquẽ, qui illorũ judicio interesset, legare posset. De causis Presbyterorũ, deque aliis cõtroversiis verbum nullum. Novum autẽ illud esse privilegium docuit, cum in arbitrium Patrum id contulit: *Si videtur dilectioni vestræ, Petri Apostoli memoriam honoremus*. Cęterum Ecclesia orientalis canonem illũ nunquam acceptit; occidentalis vero vehementer obluctata est; ac seculo quinto ingẽtes turbas Africa dedit, & fumosum typhũ Cœlestino objecit.

quod tyrannidis regnum . . . . . ut in Concilio orientales Episcopi quidquid forte statuissent, ab Episcopis occidentalibus refricaretur. Talibus dictis inimicorum divinitatis Christi, hæc subjecit Christianus Lupus ad can. 3. Concil. Sardic. *Hi sunt magistri, à quibus Wiclefistæ, Lutherani, Calvinistæ* (aliique nonnulli) *didicerunt Romanam Ecclesiam accusare tyrannidis, atque invasæ potestatis.* Ut hanc calumniam dissiparet, & vindicaret romanas appellationes ex antiquo more, nec non Julii Papæ judicium de Athanasio, cæterisq; Episcopis restitutis Synodus Sardicensis tueretur, edixit, ut Romano Episcopo scriberetur, si damnatus Episcopus existimaverit bonam se habere causam. Quo quidem antiqua jura confirmata sunt, & explicata potestas Petro tradita à Christo Domino illis verbis, *Confirma fratres tuos*, quæ potissimum in jure appellationum continetur; ut probat Nicolaus I. Nam si novus ille honor per Sardicensem canonem esset institutus, neque antea viguissent romanæ provocationes, ineptissime Julius ad Eusebianos scripsisset: *oportuit secundum canonem, & non isto modo judi-*

cium

cium fieri. . . . . An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit? At Julium ad se vocantem factiosos judices Theodoretus lib. 2. cap. 5. ait, secutum esse *Ecclesiæ Canonem*. Illos eosdem graviter fuisse reprehensos, scribit Socrates lib. 2. hist. Eccl. cap. 15. *Quoniam Ecclesia Romana Privilegium præter cæteras obtinebat*: Sozomenus vero lib. 3. cap. 8. *Quia propter Sedis Dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret*. Hic Canon, hoc Privilegium, hæc Dignitas Romanæ Sedis ante Sardicensem canonem vigebat.

Neque formula illa verborum Osii, *Si vobis videtur*, novitatem ejus Privilegii, ac Dignitatis ullo pacto præseferre cuiquam videri potest. Nam sollenne in Conciliis erat, ut ea ratione decernerentur etiam quæ ex antiqua lege, vel cõsuetudine servabantur. Nec dubiũ, quin ante Synodum Sardicensem non liceret suscipere Clericum à suo Episcopo ejectum, quod etiam can. 18. Nicæno confirmatum fuerat; nec Episcopo ab una ad aliam Ecclesiam transire, à temporibus usque Apostolicis; tamen in eodem Sardicensi, cum de

iis legibus agitur, eadem formula voluntas Patrũ exquiritur ab Osio: εἰ τοῦτο πᾶσιν ἀρέσκει can. 1. καὶ τοῦτο πᾶσιν ἀρεσάτω can. 13. Cum autem præfatur Osius, *B. Petri memoriam honoremus*, insinuat, eo jure niti romanas appellationes, quo debitus Petro honor, & reverentia, hoc est, jure divino, quo Petri Sedes est Caput Ecclesiæ. Ita haec Osii verba explicantur ab iisdem Patribus Sardicensibus in Synodica ad Julium: *Hoc enim optimum, & valde congruentissimum esse videbitur, si ad Caput, idest, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusq; provinciis Domini referant Sacerdotes.* Hujus vero epistolæ hoc est initium: *Quod semper credidimus, etiam nunc sentimus.* Quæ hic novitatis suspicio oboritur? Quod recens Osii inventum subolet? Honoratur igitur Petri memoria, cum Sedes Petri agnoscitur Caput Ecclesiarum, quod non Patrum arbitrio, sed divinitus est institutum.

Falsum est rursus quod affirmat Anonymus, Orientalem Ecclesiam Canoni Sardicensi semper obstitisse. Siquidem sub ipsa tempora Concilii Sardicensis Eustathius Sebastenus ab Arianis in

Con-

Concilio Melitinensi depositus, à Liberio, quem appellaverat, restitutus est. Sententiam Theophili Alexandrini cōtra Chrysostomum rescidit Innocentius I. de quo Palladius in vita Chrysostomi : *Ad hæc rescripsit Innocentius Papa, communioneque utriusque partis admissa, Theophili judicium cassum, atque irritum esse decrevit;* cum versaretur causa meræ disciplinæ. Mitto Eutychen Abbatem, Flavianum, Theodoretum, aliosque orientales Episcopos, qui suis appellationibus ostendunt, nunquam olim Orientis Ecclesias Sardicensi Canoni restitisse.

De occidentalibus autem Ecclesiis dubitare non sinunt perpetua appellationum exempla post Synodum Sardicensem, ut Cœlestii, Chelidonii, Contumeliosi, & Adriani Episcopi Thebani, qui repositus est in Sedem suam à Gregorio M. qui titulum Episcopi universalis tantopere detestabatur. Turbæ autem Africanæ cum Zosimo, Cœlestino, & Bonifacio Romanis Pontificibus, inde ortum habuerunt, quod dicerent Legati Papæ Zosimi, romanas appellationes Nicænis Canonibus sustineri; cum enim in Nicænis

Canonibus nihil ejusmodi legerent Africani, in suspicionem adducti sunt, appellationes esse caducas, neque ullis fundamentis innixas. Duplici autem facti ignoratione laborabant; tum quod Sardicensem Synodum non aliam agnoscerent, quam Philippopolitanum Arianorum Conciliabulum, quod illi inierant facta discessione à Patribus Sardicensibus; tum quod nescirent, Canones Sardicenses Nicænorum nomine censeri pro more Romanæ Ecclesiæ; ut patet multis quidem aliis, sed præcipue ex antiquo Codice Canonum hujus Ecclesiæ, quem nuper è tenebris eruit, ediditque Paschasius Quesnellus; quo satis factum est Petro de Marca *lib. 7. de Concord. cap.* 16. desideranti, ad eam conjecturam vetusti codicis auctoritatem. Cum primum ex ignoratione illa emerserunt Africani, statim fuerunt in potestate Summi Pontificis, & perpetuas appellationum leges ultro coluerunt; ut causa Antonii Fussalensis docet, quam ipsi detulerunt eidem Cœlestino, teste Augustino epistola 261. Quanquam Patrum Catholicorum mens fuit, siquando de retractatoriis judiciis

Ro-

Romanæ Ecclesiæ, & appellationibus transmarinis questi sunt, ut causarentur non defectum, sed abusum potestatis. Ut Augustinus ibid. *Iudicia illis, & publicas potestates, & militares impetus, tanquam executuros Apostolicæ Sedis sententiam, sive ipse, sive rumores creberrimi comminantur.... Non sinas ista fieri, obsecro te per Christi sanguinem*. Tum mitius Apostolicæ auctoritatis judicium implorans; *Utrique*, inquit, *misericordiam mereantur tuam*. A quibus sensibus non abludit Bernardus *lib. 3. de Consid. cap. 4.* de Exemtionibus promiscue non concedendis: *Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia potestis; sed utrum & debeatis, quæstio est.*

(52) Amplitudo charitatis omnibus cõmunis non tollit amplitudinem jurisdictionis uni Petro, ejusque successoribus peculiaris. Etsi enim in uno corpore pro invicem sollicita sint membra, capitis tamen est, ut omnia, & singula ad vitam, & salutem totius corporis regat. Aliter igitur ad unumquemque Episcopum, imo vero etiam christianum, pertinet, chari-

(52) Non propriũ Romanæ Ecclesiæ munus, sed omnium commune Ecclesiarum est, ut excubent ad totius Ecclesiæ, singulorumque ejus membrorum salutem. Unde Cyprianus ep. 66. ad Stephanum, affirmat, non solius Stephani esse, sed ipsorum omnium, ut occurrant malis per Marcianũ Arelatensem Episcopũ illi Ecclesiæ illatis. *Cui rei nostrum est subvenire, & consulere, Frater charissime, qui divinam clementiam cogitãtes, & gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes, &c.* & infra. *Sufficiat multos illic è fratribus no-*

tatem suam ad totius Ecclesiæ felicitatem extendere, aliter ad Summum Pontificem pro traditis sibi Clavibus, & potestate jurisdictionis à Christo Domino commendatæ. Hujus rei testes habemus Cyprianum *epist. 66. ad Stephanum*, Clerum Romanum *epist. 1. ad Cyprianum*, & Cœlestinum I. *epist. ad Concil. Ephesin.* hoc est, testes ipsos ab Anonymo laudatos iis in locis, quibus ipse abutitur.

Cyprianus igitur in ea ad Stephanum Romanum Pontificem epistola, sic ait: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem à te literæ, quibus abstento Marciano, alius in ejus locum substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur. Sufficiat multos illic, &c.* Ubi advertat cum Rigaltio suo Anonymus, non direxisse Cyprianum literas in Provinciam, sed Stephanum, uti dirigeret, rogasse; curam igitur plebis Arelatensis aliter ad se pertinere, aliter ad Stephanum credebat; seque charitatis lege adactum, ut Stephanum rogaret; Stephanum vero decernendi, & mandandi jurisdictionem habuisse. Deinde osten-

dere,

stris, annis istis superioribus excessisse sine pace; vel cæteris subveniatur, qui supersunt, qui & diebus, & noctibus ingemiscunt, & divinam, ac paternam misericordiam deprecantes, solatium NOSTRÆ (nô solius Stephani, ut advertit Rigaltius) *opitulationis exposcunt. Idcirco enim copiosum est corpus Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutino, atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim facere, & gregẽ Christi lacerare, ac vastare tentaverit, subveniant cæteri, & quasi pastores utiles, & misericordes, in gregem colligant oves dominicas.*

dere, & profiteri Cyprianum, etiam per tria illa beata ſecula eam fuiſſe Romani Pontificis poteſtatem, ut Epiſcopos alios dejiceret, alios ſubrogaret; nec certe ſolam Cypriani, & aliorum charitatem ad rem illam fuiſſe ſatis. Ad hunc epiſtolæ ſanctiſſimi martyris locum hæc habet Petrus de Marca lib. 1. Concord. cap. 10. num. 8. qui libello Anonymi noſtri eſt prora, & puppis. *Concedamus ingratas illi* (Cypriano) *fuiſſe judiciorum in provinciis redditorum retractationes, quamvis Summis Pontificibus non paſſim, ſed aliquo caſu eſſent acceptæ: Summum tamen jus Romanæ Sedis in ſententia de rebus ad ſe relatis ferenda diſertiſſimis verbis Cyprianum agnoviſſe. Quod evidentiſſime patet in cauſa Marciani Arelatenſis Epiſcopi, &c. Sed illuſtriora ſunt verba, quæ ſequuntur, quibus decernendi, & pronunciandi de re propoſita, juxta ſententiam Gallicanorum, & Africanorum Epiſcoporum, poteſtas Romanæ Sedi aſſeritur, eique pleniſſima executionis cura demandatur:*
„ Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te literæ, quibus, abſtento Marciano, alius in locum ejus

 ſub-

substituatur,, *Nulla Novatores industria hoc testimonium Cypriani elevare possunt.* Videat Anonymus, quibus se adjunxerit, Petro judice; & agnoscat, non sola amplitudine charitatis curam omnibus Ecclesiis impendere Romanum Pontificem.

(53) Clerus item Romanus hoc profitetur in epist. 1 ad Cyprian. *Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiæ, cujus per varias quasq; provincias membra digesta sunt, excubare.*

(53) Clerus Romanus *loco cit.* aperte innuit, loqui se de mutuo charitatis officio, quo sollicita pro invicem sunt membra; apposite enim memorat Ecclesiæ membra digesta per varias provincias, ut significet eorum regimen ad Caput spectare, & aliam esse membrorum, aliam Capitis sollicitudinem pro toto Ecclesiæ corpore. Præterea, decere ait, ut omnes pro corpore Ecclesiæ excubent; ut intelligamus ad charitatis tantum officium, non potestatis spectare verba illa; nam excubare eum, qui Caput sit, & Primatum teneat, non decet modo, sed omnino oportet. Denique excubandi partes, non autem accurrendi, & corrigendi, communes omnibus dicuntur; quas quidem excubias obierat S. Cyprianus, nuncians rem sollicitam de Privato Lambesitano, ut Clerus ait; quasque Episcopi etiam nunc pro se quisque obire debent, Romam nuncian-

ciantes, si quid turbatum fuerit in rebus Ecclesiasticis. Cura igitur, quæ communicatur cum omnibus Episcopis diserte ab ea separatur, quæ propria est Pontificis Romani ex testimonio Romani Cleri. Ut intelligat autem Anonymus, quæ sit Romanorum Clericorum sententia de prærogativa Romanæ Sedis quoad sollicitudinem omnium Ecclesiarum, adeat epist. 3. ejusdem Cleri ad Clerum Carthaginensem, ubi longe aliter de cura sibi commendata loquitur, ac de aliis Ecclesiis; præcipue verbis illis. *Et cum incumbat Nobis, qui videmur præpositi esse, & vice Pastoris custodire gregem*. Vacabat enim per obitum Fabiani Sedes Petri; illi vero Clericos se totius orbis, quoad sollicitudinem omnis Ecclesiæ apertissime ostendunt, non charitate solum postulante, sed officio sui Clericatus, & primatu, ac prærogativa suæ Ecclesiæ.

(54) Quod ex Cœlestino Anonymus extorquere cõtendit, plane mirandum est; cum enim paulo superius scripserat monitum à Patribus Africanis, ne fumosum typhum seculi inferret in Ecclesiam Christi, hoc est, ne appellationes transmarinas asse-

(54) Cœlestinus denique in ep ad Concil. Ephesin. hoc munus explicat omnibus Episcopis cõmendatum. *Hæc ad omnes in communi Domini Sacerdotes mandatæ prædicationis cura pervenit; hereditario in hanc sollicitudinem jure constringimur quicunque per diversa terrarũ loca Apostolorum vice nomen Domini prædicamus, cũ illis dicitur: Ite docete omnes gentes. Advertere debet vestra fraternitas, quia accepimus generale mandatum, & OMNES id nos agere voluit, quibus in commune mandavit officium; necesse est, ut compẽtéter nostros sequamur anctores.*

asséreret,& in Africanas Ecclesias jura Sardicensia vindicaret: Quomodo igitur hic Cœlestinus inducitur affirmans, non aliam sibi esse potestatem in omnes Ecclesias, quam quæ sit cæteris Episcopis? Quomodo Cœlestini locus ex ea epistola promitur, in qua ille Primatum Sedis suæ maxime exercuit? Qua legatos ad Synodum Ephesinam misit,ut quæ ab ipso jam antea statuta erant,Synodus exequeretur? Cui epistolæ Firmus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus nomine Synodi subjecit: *Apostolica, & Sancta Sedes Cœlestini Sanctissimi Episcopi etiam ante de præsenti negotio sententiam, regulamque præscripsit*. Quem excepit Philippus Apostolicæ Sedis Legatus: *Gratias agimus Sanctæ, venerandæque Synodo, quod literis Sancti, Beatique Papæ nostri vobis recitatis, sancta membra, sanctis vestris vocibus, sancto Capiti sanctis etiam vestris exclamationibus vos adjunxeritis*. Hæc est igitur communis membrorum pro toto corpore sollicitudo, ut sancto Capiti sese adjungant, ejusque sollicitudini obsequātur; ac latissime discreta est in hac ipsa epistola Cœlestini, charitas membrorum à ju-

à jurisdictione Capitis. Proinde sentiat Anonymus se testibus suis convictum, atque rejectum.

(55) Ne videatur Anonymus contra Innocentii III. auctoritatem negare amplitudinem Romani Clericatus, summa religione conatur, se ab illius epistola decretali explicare; & videri cupit rationem habere Innocentii, cum antea parem fecisset Episcopo Lavellensi Romanum Pontificem, eique objecisset usurpationem, & turpitudinem; videlicet reduviam curat, ubi medendum est capiti. Nihil igitur in his hærendum, nec trahenda mora in eo, quod in epistola quidem Innocentii, nō vero in decretali scriptum sit, quod electus Ecclesiæ Capuanæ Episcopus, quippe qui Clericus Romanus esset, non debuisset censeri Clericus extraneus; nos enim non magis à cōcisis epistolarum fragmentis, quam à liquida mente, & verbis Pontificis rescribentis earum auctoritatem agnoscimus. Sed repetitis ex tota antiquitate monumentis, quid recentia testimonia desideremus? Quod vero juri naturali, divino, & canonico cedere potuerint Capuani, est prorsus inauditum.

(55) Locus Innocentii III. in epist. ad Capitulum Capuanum, ex qua sumtū est cap. *cum nobis* 19. *de elect.* ubi ait electū Capuanum Episcopum, quippe qui Romanus Clericus esset, non debuisse exterum censeri, legitur in epistola quidē, sed non in decretali. Præterea valuit illa extranei electio, non quia Clericus Romanus erat, sed quia Capuani sponte exterum eligentes, cessèrant juri, ne exterum Episcopum haberent.

Interim intelligat, nunquam se sacrosanctæ religioni facturum satis, nisi verso stylo libellum totum, præsertim vero auctarium prorsus inducat, & obliteret; in quo illud cum primis stomachum facit, quod ipse profiteatur, in gratiam jucundissimi amici fuisse compositum. Itane ludus illi videbatur, insultare Apostolicæ Cathedræ, & Christi Vicarium in ordinem redigere? Itane gratificandum animo fuit, & per ludibria Apostolicæ majestatis genio, & amicis litandum? Sed verendum, ne in paranda amicorum gratia duces habuerit iniquissimos Christi judices, qui in accusanda Summi Pontificis potestate duces habuit Eusebianos divinitatis Christi hostes acerrimos.

(56) Tertium Romanorum argumentũ petitur à diuturna possessione Romanæ Curiæ, quæ tot secula pro suo jure, & arbitrio nostra beneficia distribuit. Sed quæ ratio ejus possessionis habẽda est, cui divina, & naturalia jura resistunt; et quæ vi obtinetur?

(56) Negat Anonymus Põtificiæ causæ quidquam suffragari possessionem, ut quæ divinis, & naturalibus legibus adversetur, quamque Romana Ecclesia per vim invaserit. Præscriptioni vero obsistere ait malam fidem. Magna semper fuit auctoritas, & vis consuetudinis, cum in publicis, privatisque rebus omnibus, tum vero maxime in judiciis Ecclesiasticis quoad causas jurisdictionis. Hoc jure Meletii

letii Lycopolitani audacia repressa est in Concilio Nicæno can. 6. *Antiqua consuetudo servetur*, *&c.* Eoque Cypriorum causa contra Joannem Antiochenum definita est in Concilio Ephesino: *Si non est vetus mos ..... habebunt jus suum intactum, & inviolatum*. Imo interdum posthabetur consuetudini utilitas, ne mutata consuetudine offendat novitas, teste Augustino cit. epist. ad Januarium: *Ipsa quidem mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*. Servetur igitur antiqua consuetudo, ut Summus Pontifex jure suo beneficia conferat, habeatque ex veteri more jus suum intactum, & inviolatum; ne conatus mutandæ ejus consuetudinis novitate perturbent, etiam si in speciem conficta utilitate adjuvare videantur. Utrum autem divina, & naturalia jura eam consuetudinem damnent, ex dictis judicium esto.

(57) Præscriptioni neque titulus abest, nec bona fides: Neque enim ulla esse potest suspicio malæ fidei, ubi cum perspicua canonum sententia omnium Pontificum exempla concurrunt. Titulus vero certissimus, & antiquissimus est, Pastoris, & Epi-

(57) Præscriptionē autem, si forte obtendant, rejicit mala fides. Nisi enim Curia Romana ignaram se fateri velit principiorum juris naturalis, divini, & canonici; affirmare cogitur, non se ignorasse, possessionem illam abnormem esse, & juri contrariam.

Episcopi universalis. Neque Gregorius M. (ut eo recurrat oratio, & de mente Sanctissimi Pontificis pressius, & commodius agamus) cum detestaretur arrogantiam Joannis Episcopi Constantinopolitani, damnabat jurisdictionem universalem, sed tumidam appellationem, & titulum ab Ecclesiastica modestia abhorrentem; ut ex ipsius verbis, factisque discimus I. cum objicit Joanni exemplum Petri: *Cunctis*, inquit, *evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica, sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est. Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen universalis Apostolus non vocatur.* Simul igitur affirmat Gregorius, Petrum fuisse Apostolorum Principem, & habuisse curam, & principatum totius Ecclesiæ, & tamen non fuisse appellatum Apostolum universalem. Ergo cum negat, Papam esse appellandum Episcopum universalem, non negat illum esse Episcoporum Principem, eamque totius Ecclesiæ curam habere, præsertim cum se appellet Petri successorem: *Nos*, inquit, *qui licet immeriti, Sedem Apostoli-*

cam

cam vice Petri Apostolorum Principis suscepimus gubernandam, ipso Pontificatus officia cogimur generali hosti, quibus valemus viribus obviare. II. quia constat ex Anastasio Bibliothecario in præfat. VII. Synodi, Joannem non totius Ecclesiæ, sed totius suæ diœcesis universalem se Episcopum appellasse; Gregorius igitur negabat, illum dici posse Episcopum universalem etiam illius diœcesis, in qua habebat universalem jurisdictionem. Restitit igitur illi titulo Gregorius non ad coërcendam jurisdictionem, sed nominis arrogantiam; proindeque amplissimæ suæ jurisdictioni non derogat, quod se neget Episcopum universalem. III. Professus est Gregorius se totius Ecclesiæ servum, assumta humilitatis epigraphe: *servus servorum Dei*, qua exprimitur universalis jurisdictio nihilo minus, ac si dicatur Episcopus universalis. Consueverant enim Episcopi se inscribere, & appellare *servos* Ecclesiarum, quibus ministerium impendebant, obsequentes mandato Christi Matth. 23. *Qui major est inter vos, sit sicut minister*. Quare nihil interest, sive servus, sive Episcopus totius Ecclesiæ dica-

catur Papa, quod attinet ad jurisdictionem, licet appellatio servi magis conferat ad modestiæ commendationem. Igitur sicuti stulte quis negaverit Præpositum totius Ordinis Minorum (ut de medio sumamus exemplum) habere universalem jurisdictionem in totam illam familiam; quia noluit S. Franciscus eum nuncupari illustri titulo Magistri, seu Præpositi, sed servi, seu Ministri Generalis; ita perperam Launoius, & cũ eo Anonymus plaudit sibi in eo loco Gregorii, qui universalem jurisdictionem explicat modestiori titulo servitutis. IV. Hic ipse Servus servorum Dei, qui blasphemum habuit titulum Episcopi universalis, plusquam Episcopalem in omnes Episcopos, & Ecclesias jurisdictionem exercuit; veluti in causa Januarii Episcopi Malacitani, & Stephani, apud eundem epist. 52. lib. 11. & in restituendo Adriano injuste deposito ab Episcopo primæ Justinianæ, ad quem hæc scripsit: *Cassatis prius, atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex B. Petri Apostolorum Principis auctoritate decernimus, &c.* Ita servitutem, hoc est, sacrum, & summum imperium

exer-

exercebat Gregorius in universam Ecclesiam, seque probavit Episcopum Episcoporum, quo nomine à primis Ecclesiæ seculis Papa nuncupatus est; teste Tertulliano lib. de pudicit. cap. 1. & Cypriano in Synod. Carthag. Id velim ex Gregorio audiat Anonymus, & memoriæ penitus mandet, quod scribit epist. 42. lib. 11. *APOSTOLICÆ SEDIS REVERENTIA NULLIUS PRÆSUMTIONE TURBETUR; TUNC ENIM MEMBRORUM STATUS INTEGER PERSEVERAT, SI CAPUT FIDEI NULLA PULSET INJURIA.*

(58) Ridet postremo loco Anonymus jura Romanæ Sedis in regnum Neapolitanum, nec aliter quam risu excipiendum ait eum, qui dixerit, regnum illud esse feudum Romani Pontificis, rem nimirum vix extremis barbaris suadendam. Ridere illum sinamus in tanto flagitio; ac servemus potius Hispaniarum reges, præsertim Austriacos, jura illa studiosissime colentes, ac tributis, & monumẽtis omnibus agnoscentes. Unde Philippus II. in mandatis pro recta Neapolitani regni administratione, in primis Proregi Neapolitano san-

(58) Vltimum pro Romana Curia argumentũ est dominium regni Neapolitani, quod ipsa in feudum nostris Principibus cõcesserit. Quod attinet ad dominium regni certe solo risu excipiendum esset. Sed quid tum, si ad illã pertineat? Bona Dei sub dominium Principum non cadunt. Itaque si Tupinimbis aut Sinis hoc regni dominiũ suaderi posset, nõ propterea licere crederent ut Romana Curia nostris beneficiis pasceret Clericos suos.

sancte, & graviter præcepit: *Ansi mismo aveis de onrar, acatar, y servir à nuestro muy Sancto Padre, y à la Sancta Sede Apostolica, ansi por la obligacion, que en general para ello todos tenemos, por tener el lugar de Dios en la tierra, como en particular por ser aquel Reyno feudo de la Yglesia Romana, y à esta causa queremos, y assi os lo encargamos, y mandamos, que tengais mucho cuydado de favorecer, y conservar la dignidad, y autoridad Ecclesiastica, no dando lugar à que en manera alguna sea ofendida, ni perjudicada, ni tampoco la jurisdicion, y preminencia Real, procurando que cadauno use, y goze de lo que debidamente le pertenece: Especialmente tendreis cuydado de cumplir cadauno año lo del Censo, y Acanea, que en reconocimiento del feudo somos obligados à dar à Su Santidad, y que en esto à sus tiempos no aya falta, teniendo co nuestro Embaxador, que residiere en Roma la correspondencia que para esto se requiere, manteniendo con las tierras de la Yglesia mucha paz, amistad, y buena vecindad, guardando, y cumpliendo enteramente por nuestra parte lo que por las Capitulaciones pasadas ansi con*

Su Santidad, como con la Sancta Sede Apostolica debemos, y somos obligados, &c. Bruxellis 10. *Januarii* 1559. Vix hæc certe ignorant Sinæ, aut Tupinimbæ; neque ipsum putamus ignorare Anonymum, nisi videri velit, longius à communi sensu, quam illi à nostris regionibus, abesse.

Superest ut Anonymum compellemus verbis Augustini lib. 2. contra epist. Petiliani, cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie* Clemens *sedet?* Quæ te caussæ præcipitem egerunt, ut literas, nomenque tuum, patriæque existimationem maculares? An quo Neapolitanis Ecclesiis, & viris Ecclesiasticis opem ferres? At certe spem bonam illorum, quam in sola Sanctissimi Pontificis clementia ponere potuissent, turpiter evertisti, animo scilicet, & Clementis, & Caroli vehementer abalienato. Nam nisi contumeliæ illæ, & errores libelli tui illorum animos exulcerassent, magna cum fiducia adiissemus Beatissimum Patrem, & subjicientes oculis ejus Ecclesias regni hujus, partim terræ motibus, partim turbinibus temporum

jactatas, excussas, & inopia confectas, plurima Pontificiæ benignitatis argumẽta sperare potuissemus; cum modo vix rogare illum supplices audeamus, ut credere velit, nos acerbo præ cæteris dolore calumniarum illarum esse perculsos. Carolus vero, ut velit nobis adesse officiis suis, quos demum sententia tua offerre poterit Summo Pontifici beneficiis, & dignitatibus ornandos? Clericos ne agrestes ex aratro, an patriæ, & Regis proditores è vinculis evocatos, cujusmodi Neapolitanos Clericos esse designasti? At patrono, inquis, fas est augere clientis calamitatem, ad ejus causæ commendationem. Patronum igitur se tibi præberet studiosissimum, siquis stultitiam, & temeritatem tuam exaggeraret in causa editi libelli, idque officii loco habere deberes. Sed profecto præstat, te adversarium habere, quam patronum, si non aliter clientum causas agere potes, quam illos, aut ad opus damnando, aut in ergastulum conjiciendo.

An vero animum induxisti, ut scriptum emitteres ductus inani gloria, ut auram eloquẽtiæ captares, atque hetrusco

stylo

ſtylo tuo laudem colligeres, reputans potius hominum opinionem, quam ſcandalum fratrum tuorum? Jam hoc damnaverat in Euſebianis auctoribus errorum tuorum Julius I. in epiſt. recitata ab Athanaſio apolog. contra Arianos: *Quod ſi eloquentiæ oſtentandæ cauſa, qui epiſtolam dictavit, ita ſcripſerit, hujuſmodi ſtudium ad alios ſpectat. In rebus enim Eccleſiaſticis non ſpecimen eloquentiæ quærendum eſt, ſed Canones Apoſtolici, ac ſtudendum, ne unus quidem ex puſillis, qui in Eccleſia ſunt, ſcandalizetur.* Quanquam non deſint, qui ſtylo tuo σωρεϊσμόν, & *Κακόζηλον* occinant; tibique rem non aliter proceſſiſſe putent, quam ædificatoribus turris Babel, qui linguarum confuſione, *cœptis fruſtratis non potuerunt ad deſtinatum impietatis ſuæ finem pervenire*, inquit Philo *lib. de confuſ. linguar.* Deo puniente *malum affectum, etiam cui non ſucceſsit effectus*; ut de illis ait Auguſtinus *lib.* 16. *de Civit. Dei, cap.* 4. Sed nobis ex agro venientibus, quæ facultas eſſe poteſt, ut de cultiſſimis artibus, & ſtudiis judicemus? Hieronymo quidem gerere morem ſemper curavimus monenti, ut *piam potius*

rusticitatem; *quam doctam blasphemiam* eligeremus; quippe qui majorem professi sumus in fidei, quam in sermonis articulis religionem. Propterea linguam Ecclesiæ in causis ecclesiasticis usurpandam duximus; ac Sanctorum Patrum, & Canonum simplicitatem in rebus canonicis, latinitatemque retinendam; præsertim, ne italicũ sermonem frequentioribus, & longioribus latinorum Scriptorum testimoniis obrueremus; quo argumento Anonymus Theologus, tuus proculdubio symmystes, Davidium gallice scribentem latine excepit. Potissimum vero, ne, quod maxime cavendum erat, quodque sacris disputationibus nunquam bene vertit, erepentes è medio vulgo judices haberemus. Illud tamen unum tibi etiam, atque etiam ingerendum habemus, quod Favorinus ait adolescenti veterum verborum cupidissimo apud Gellium lib. 1. cap. 10. *Habe semper in corde, quod à C. Cæsare scriptum est, ut tanquam scopulum, sic fugias insolens verbum*; ut ne posthac stylum tuum inficias ulla verborum *INSOLENTIA*.

Quod vero oblatum tibi convicio-

rum

rum crimen, & violatæ verbis Apostolicæ dignitatis elevare contendas exemplo Paulini, est hoc enimvero in sanctissimi viri nomen crimen gravissimũ. Nusquam Paulinus cum Siricii superbam discretioenm, & Clericorum ejus invidiam vellicaret, aut Primatum illius, aut Ecclesiæ Romanæ auctoritatem attentavit. Neque enim qui hominum vitia carpit, illa eadẽ Cathedræ impingit. *Nunquid Dominus Jesus Christus*, inquit Augustinus contra Donatistas loco cit. *propter Pharisæos, de quibus ait* ,, dicunt enim, & non faciunt ,, *cathedræ, in qua sedebant, ullam fecit injuriam? Nonne illam Cathedram Moysi commendavit, & illos servato Cathedræ honore redarguit? Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolicam, cui non communicatis. Sed quid est aliud, quam nescire dicere, & tamen non posse nisi maledicere?* Tu vero cum Clementem commendare videri velis, Cathedræ illius honorem non servas, & jura Ecclesiæ Romanæ pessundas. Quo Paulini, aut sanctorum virorum, ut jactas, exẽplo, hoc facinus excuses?

Jam sentis, opinor, quanta firmitate

jura Sedis Apostolicæ consistant; iis ipsis argumentis, quibus ab adversariis urgeri solent. Non enim ea versanda suscepimus, quibus sapientissimi viri, Romanæ Ecclesiæ privilegia vindicaverunt; quæ sicut Turris David *ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea; omnis armatura fortium*; sed hoc nobis negotii sumsimus, ut errores libelli tui tuis ipsius machinis everteremus, nec alia quæreremus præsidia veritatis, quam male structa, maleque parata munimenta mendacii. Erit igitur pietatis, & eruditionis tuæ, ut tabernaculum Dei literis tuis ornare studeas, & ad secundum, quod Cyprianus ait ead. ep. 55. felicitatis gradum, errores agnoscendo, festines. Quo cæteris etiam, qui te colunt, & affectantur, exemplo sis, ac doceas, quibus libris, quibus studiis, quibus literis insuescere deceat Ecclesiæ filios, & in quo ponenda eruditionis laus, & fructus studiorum. Ne ad eam temporum conditionem deveniamus, quam lugebat Nazianzenus in encomio Athanasii: *Nugacitas doctrinæ, atque eruditionis nomen tulit; quodque Actorum liber de Athenienfibus narrat, ad nihil aliud vacamus,*

mus,

mus, quam ut novi aliquid dicamus, aut audiamus. O quis Jeremias confusionem nostram, caliginemque deplorabit?

Dele igitur ſtylo, & lacrymis, quæ inconſideratus illi opuſculo commendaſti. Recantet pœnitentia, quæ maleſanus ardor effudit. Advoluere ſupplex pedibus illis, quibus procumbunt Reges. Materna brachia redeunti dabit Eccleſia, quæ dedit luctum, & lacrymas erranti. Agnoſce ſolventem in terris, quæ ſolvantur etiam in cœlis; ne & in cœlis ligata ſentias, quæ ligaverit ſuper terram Claviger cœli, Paſtor ovium, Princeps Paſtorum, *CVI QVISQVIS PRINCIPATUM ÆSTIMAT DENEGANDUM, ILLIUS QVIDEM NULLO MODO POTEST MINUERE DIGNITATEM, SED INFLATUS SPIRITU SUPERBIÆ SUÆ SEMETIPSUM IN INFERNA DEMERGIT*. S. Leo epiſt. 10. cap. 2.

